Supp. 60399/B Vol. 3

DR. SAMUEL
X·RADBILL

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b28748323_0003

MEDICINA SALERNITANA

IDEST

Conſervandæ bonæ valetudinis præcepta,

CUM

ARNOLDI VILLANOVANI

In ſingula Capita exegeſi.

ACCEDUNT

MATTHÆI POLITI

In Salernitana Schola P. P.

NOVISSIMA COMMENTARIA.

TOM. III.

SALERNI, MDCCLXXXIX.

Ex Officina Ferdinandi Campi

Superioribus annuentibus.

30309

Quantum in Medico eſt, ſanare venit Ægrotum, ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici obſervare non vult.

Div. Auguſt. Tract. 12. in Joann.

WELLCOME LIBRARY

CAP. LXIX.

DE PULEGIO.

CUM vino, nigram choleram, potata repellit,
Appoſitam, veterem, dicunt, ſedare podagram.

Duo hoc in loco, Pulegii recenſentur effectus: prior quidem, quod atram bilem cum vino expurget; ejuſque rei teſtis etiam eſt Dioſcorides. lib. 3. cap. 32. Atram, inquiens, bilem per alvum exigit.

Alter vero, quod peculiari proprietate quadam, antiquam curat podagram. Craſſos enim, viſcoſoſque humores, unde podagra generari plurimum ſolet, vehementer calefacit, decoquit, extenuat, & amolitur. In tertio namque ordine calidum, & ſiccum eſſe ſtatuitur, quapropter podagricis etiam per ſe ſubvenit, impoſitum uſquedum rubeſcat locus. Vi pollere corroborandi, ex

bona fragrantia ejus ſatis liquet. Aperit quoque, attrahit, & conſumit: ratione, tum eſſentiæ, cum qualitatum (1). Potum, menſtrua, ſecundas, ac partus ejicit. Pulmonis vitia, ex melle, & aloe potum, extrahit, convulſis auxiliatur, Capitis dolores, impoſitum, levat. Quin, & olfactu, capita tueri, contra frigorum, æſtusque injuriam, & a ſiti eximere traditur Nauſeas, ſtomachique eroſiones ex poſca, permulcet. Bibitur in vino utiliſſime contra ſerpentium morſus, defectos animos recreat, cum aceto naribus objectum. Siccatum præterea, crematumque, & in pulverem tritum, gingivas confirmat. Illitum cum polenta, inflammationes omnes ſedat. Cum cerato, vermes extinguit. Lienoſis cum ſale utiliter illinitur, Decoctum ejus, ablutas prurigines mitigat: & eadem utilitate inſidentibus fœminis prodeſt, inflationes, durities, & muliebrium locorum converſiones corrigens. Plura Dioſcor. loco citato, Plinius lib. 20. cap 14. Galen. lib. 6. cap. 93. de ſimpl. medicam, facult. & Simeon Sethi in Syntagmate.

¶ [1] *De Pulegio multa enarrantur; ſed vix virtutem roborantem, & menagogam habere crediderim. Prima flatus diſcutit, a quibus mulieres, hyſterica paſſione adfectas vexantur; ſecunda Menſtrua a lenta cacochimia, & lentore enata, provocat.*

CAP. LXX.

DE NASTURTIO.

ILlius ſuccus, crines retinere fluentes,
Illitus adſeritur, dentiſque levare dolorem.
Lichenas ſuccus purgat, cum melle peruntus.

Hic agitur de hortis familiari herba, naſturtio, quod κάρδαμον Græci vocant, quaſi καρὰδαμον; quod caput tentet, & domet. Germanicè *Kerſſe*, Gallicè, *Creſſon alenois*, Hiſpanicè, *Maſtuerço*. Et referuntur tres ipſius facultates.

PRIMA, quod ſuccus ejus, ſive ſtillatitius liquor, capiti illitus, aut potus etiam, capillorum defluvia ſiſtat, præſertim ſi ex denſatis infarctiſque meatibus orta fuerint. Craſſos enim, & pituitoſos humores calefacit, incidit, & extenuat (1).

¶ (1) *Ex quamplurimis experimentis, ſatis conſtitit, Naſturtium, inter omnia ſimplicia adtenuantia, maxima virtute pollere; & Practici fere omnes, in cacochimia lenta pituitoſa, in acido ſcorbuto, in Leucophlegmatia, & acido ſpontaneo, de eo, cum felici ſucceſſu, in diem utuntur. Nam*

SECUNDA, quod dentium curet dolorem præcipuè, ſi a frigida materia provenerit. Eam enim naſturtium diſcutit [2].

TERTIA, quod ſuccus ejus cum melle illitus, lichenas, ideſt, impetigines, ſive ſquamas cuti adhærentes; abſtergat (3). Naſcuntur eæ, ex

---

vero in capillorum defluxu realiter proficiat, incertum. Verum, non repugnat, aliquando oppletis in capite vaſculis cutaneis ab humore lento, capillis nutrimentum denegari, atque exinde ſponte decidere. Idem humor dilutus, ejectis impuritatibus, ope Naſturtii, facile in nutrimentum cedit. Neque hoc ratiocinium, omnino reprobari poteſt, dum ſæpe eſt obſervatum, Leucophlegmatia laborantes, vera nutritione, morbo ingraveſcente, ſenſim deſtitui; Expulſis vero humoribus per adtenuantia, redit nutritio, color, robur.

¶ (2) *Eroſio lenta gingivarum, acidum ſcorbutum deſignat, quo caſu, Naſturtium, & omnia, quæ alkali præſtant, in uſu ſunt.*

¶ [3] *Non raro, cum hujuſmodi phlegmate, Muria, ſive ſal, etiam ſociatur, in qua arctiſſime irretitur: Illa, vaſa cutanea obſtruit, hoc ſenſim erodit, & in ſquamulas eminet, atque, ſcorbutum muriaticum, ſive ſalſuginoſum conſtituit, per aquoſa diluentia, & temperantia, tantummodo curandum: Decoctiones Naſturtii, plus, minusve convenire videntur, prout major, vel minor phlegma abundaverit. Omnia demum ſymptbomata, hanc diram adfectionem comitantia, iiſdem medicamini-*

phlegmate potiſſimum ſalſo, ſed naſturtium intus aſſumptum; omne phlegma pellit, & expurgat. nam, & mel quoque inſigniter abſtergit. Naſturtii ſemen, adurentis; ſeu cauſticæ facultatis particeps eſt, ſicut ſinapi. Proinde coxendicis, & capitis dolores; atque adeo quidquid aliud rubrificationem poſtulat, eo perinde, atque ſinapi excalefaciunt. Miſcetur quoque remediis, quæ exhibentur aſthmaticis, tanquam ſcilicet id; quod craſſos ſuccus valenter incidere valeat; velut & ſinapi: nam per omnia ei ſimile eſt. Stomacho adverſatur, alvum turbat; ventris lumbricos pellit, lienem imminuit; partus exanimat, menſes cit; & venerem ſtimulat. Illitum cum melle, lienem extenuat; favos expurgat: Serpentium venenis, potum reſiſtit; atque eos, ſuffitu fugat. carbunculos, ad ſuppurationem perducit, & rumpit. Coxendicibus, cum polenta, commodè ex aceto illinitur: tumores, inflammationesque diſcutit. Furunculos, cum muria illitum; ad ſuppurationem ducit. Vomitum flavæ bilis citat, eamdemque per inferna educit. Tradunt nonnulli; naſturtium, vim, vigoremque animi ſuſcitare, ac proinde eos, qui ipſum eſitaverint; ingenio, ac mente promptiores fieri. Lege Plinium lib. 19. cap. 8. & Eraſmi chiliades in proverbio ἔσθοις κάρδαμον. Porro, & herba arefacta, ſimilem ſemini vim poſſidet. Humida vero adhuc, & viridis,

---

bus feliciter curantur: Cæterum de reliquis effectibus, nihil verificari poteſt.

propter aqueæ humiditatis admiſtionem, multo, ſemine inferior eſt: adeoque tunc mordacitas ejus moderata eſt; ut cum pane ea uti liceat, ceu obſonio. Plura Dioſcorides lib. 2. cap. 14. Plinius lib. 20. cap. 13. Galenus lib. 7. cap. 8. de ſimpl. medic. facult. Simeon Sethi in Syntag. & Avicen. 2. Canon. cap. 513.

C A P. LXXI.

De Chelidonia.

CAecatis pullis, hac, lumina mater hirundo
(Plinius, ut ſcripſit) quamvis ſint eruta, reddit.

Notatu dignum eſt, quod hic, ex Plinio, de chelidonia refertur: nempe ipſam pullis hirundinum viſum reſtituere. Locus eſt lib. 25. cap. 8. ubi ſic ſcriptum reliquit: Animalia quoque invenere herbas, inprimiſque chelidoniam. Hac enim hirundines, oculis pullorum in nido reſtituunt viſum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis. [1]

¶ (1) *Valentiora remedia in oculorum morbis tantummodo utilia experta ſunt, vel quia lentos humores diſſolviant, vel quia nimis ſolutos colligant; In ſolidorum adfe-*

Meminit ejuſdem etiam lib. 8. cap. 27. hiſce verbis: Chelidoniam, viſui ſaluberrimam, hirundines monſtravere, vexatis pullorum oculis illa medentes. Hoc nomen, ut lib. 2. cap. 165. Dioſcorides teſtatur, ſibi videtur vendicaſſe, quod adventu hirundinum exoriatur, & diſceſſu emarceſcat. Sunt qui narrant, hirundines, excæcatis pullis, admota hac herba, viſum reſtituere, inquit idem: Hinc cognitum eſt, ſuccum ejus, hominum oculis, quoque mederi, utique in quibus, craſſum quiddam in pupilla colligitur, digeſtione, atque diſcuſſione indigens. Hinc igitur edocti medici, chelidoniam, omnibus fere oculorum remediis, pro viſus claritate, admiſcere ſolent. Herba eſt no-

---

ctionibus ſimili fere operantur modo, nunc tenſas fibras relaxando, nunc laxas roborando: Hinc torpidam circulationem excitare, effrenam cohibere. Sed organicas partes, organice mutatas, vel quovis modo deſtructas, ad priſtinum reſtituere, & reficere, per eadem medicamenta, nequaquam aſſequi poteſt, Hoc vero Parodoxum, Auctoris nimiæ credulitati; etſi digniſſimi, eſt permittendum. Chelidonia autem, quadam vi corroſiva donatur, ſtiptica, roborante; Ideo ejus ſuccus, vel decoctum oculis adfuſum, externas concretiones ſolvit, & debiles roborat. Num vero hæc cauſtica vis, tenerrimis oculorum vaſculis juvare poſſit, num ea diſcindere, erodere, vel ſaltem obſtruere, meditetur ex ſe unuſquiſque, cui hujuſmodi dilicatiſſimus ſenſus, reliquis eſt carior.

ta, crocei ſucci, cujus inventionem, hyrundinibus; ob id quoque attribuunt; quod pulli earum, ſæpius, quam ulli aliarum avium, in cæcitatem incidant. Hirundinum enim ſtercus, chelidoniæ oppoſitum præſtat: excæcat namque; ſi calidum in oculos decidat; & præcipue matrum. Quod etiam ſacræ teſtantur literæ, Nam Tobiæ 2. ſeniorem illum, hoc ſtercore excæcatum fuiſſe legitur. Cor. Celſ. lib. 6. cap. 6. fabulam putat; per parentes, oculos herba reſtitui, qui per ſe ſaneſcant: Chelidonia, tertii eſt ordinis; abſoluti jam, idque tum in calefaciendo, tum in ſiccando. Attrahit igitur, diſcutit; & conſumit. Radix trita; & in vino decocta, caput; columellamque, frigidorum humorum a capite deſcendentium multitudine laxatam; ac linguæ radici; atque faucibus incumbentem, expurgat, [2] ſi exurgentem inde fumum infundibulo adhibito æger admittat, & vinum deinde gargarizet. Cum aniſo, & vino albo pota, medetur regio morbo, & ulceribus, quæ ſerpunt, impoſita cum vino; aut manducata; dentium dolorem ſedat. Plura Galenus libro 8. capite 172. de ſimpl. med. facult.

¶ (2) *Propter ejus jam notas facultates, inter apophlegmatizonta, merito locari poteſt, quia phlegma circa Guttur, & columellam ſtagnans, attenuat, & expurgat; Gulæ pariter debilitati, a fluxione obortæ, mirabiliter ſubvenit. Præſtat etiam in coriza per nares, adinſtar Tabaci ſumpta, modice tamen ad ſtarnutationem provocandam.*

CAP. LXXII.

De Salice.

AUribus infuſus, vermes, ſuccus necat ejus.
Cortex, verrucas, in aceto cocta reſolvit.
Hujus flos ſumptus in aqua, frigeſcere cogit:
Inſtinctus Veneris cunctos, acres, ſtimulantes.
Et ſic deſiccat, ut nulla creatio fiat.

TRIA hoc loco de Salice traduntur.

PRIMUM, quod ſuccus ejus, auribus inſtillatus vermes interficiat, (1) & maxime quidem,

¶ (1) *Non adhuc audivimus, Vermes in auribus umquam generari, niſi tantummodo aliquando ab enormi Apoſtemate inibi enata, & neglecta, vel male curata. Adfluit vero humor ad aures, & Timpani membranam cum ſua corda relaxat, & auditus hebetudinem infert; ſive gravitatem; quæ, per ablutionem rerum corroborantium, curari poteſt. Si vero adoriatur fluxio, cum aliquo dolo-*

ſi is ſit ex foliis, & & cortice expreſſus. Amarum enim quiddam in ſe habet, & acerbum. Idem quoque cum roſaceo in calyce punici calefactus, aurium doloribus, & saniei medetur.

SECUNDUM, quod cortex ejus, in aceto decoctus, verrucas pellat. (2) Hanc rem Dioſcorides lib. 1. cap. 115. ſic tradidit: Corticis cinis admiſto aceto maceratus, illitu clavos, & callos tollit. Eſt enim vis ejus admodum deſiccatoria; ſed ita tamen, ut morſu abſtineat, habet vero etiam quandam adſtrictionem. Avicenna cap. 541. ſecundi Can. eumdem effectum portulacæ quoque tribuit. Ex ea, inquiens, fricantur verrucæ, & eradicat eas, non qualitate, ſed naturali quadam facultate.

TERTIUM, quod flos ſalicis conceptus prohibeat, & hoc certe ob vim deſiccatoriam, & adſtringentem. Hoc ipſum autem ατυλληρίαν ερ-

---

ris ſenſu, nocent hæc, quia partes tenſas emollire, & relaxare expedit: Unde ſuffumigia vaporoſa herbarum anodynarum conveniunt, ut florum Sambuci, Malvæ, Camomillæ, meliloti, aliarumque.

¶ (2) *Verrucæ, ſive Ulcera dura calloſa, nullomodo curari poſſunt, niſi callus ipſe, qui novæ ſubſtantiæ reproductioni opponitur, per medicamenta eſcarotica, & corroſiva radicitus tollatur, quod ſalici omnino denegatum eſt, in quo ſapor amarus, ſtipticus, & roborans deprehenditur, erodens vero deeſt.*

γαζεσθαι Dioſcorides dixit, hoc eſt, facere, ut mulier non concipiat. Non autem ſolum mulierum conceptus prohibet ſalicis ſemen, ſive fructus, ſive flos, velut hic appellatur, ſed etiam inſtinctus Veneris omnes concelat, ac reſiccat, etiam in viris, ut generare nequeant. [3] Atque hoc ipſum, Democritus quoque apud Conſtantinum Cæſarem lib. 11. cap. 14. tradit, his verbis: Qui fructus ſalicis appellatur, pabulo pecorum admixtus, ipſa pinguefacit. Tritus autem, & in potu acceptus ab homine, ſteriles facit ex quo, & Homerus ὀδυσσηα X. ait:

Κλήτροις ἄιγειροιτε ϗ ἰτέα ὠλεσικάρποι.

Hoc eſt.

¶ (3) *Sapor amarus, ſtipticus, auſterus, qui in ſalice, ejus floribus, & foliis eminet, de roborante virtute clariſſimum præbet indicium. Hæc enim nullomodo mulierum fœcùnditati obſtat, multo minus hominum generandi facultatem extinguit; imo potius omnia organa, omnesque partes ad Generationem concurrentia, activiora reddit. Homines, qui ad longas febres profligandas, nimia Corticis peruviani quantitate, uſi ſunt, per menſes, & ultra, aliorumque ſimilium, prolificam vim retinuerunt integram. De mulieribus eadem experimenta præſtant in die, quæ etiam poſt profundas, jam ſanatas obſtructiones, tam a quartanis, quam ab eodem cortice enatas, iterum fœliciter conceperunt. Num in ſalice alia ignota vis latitet, conceptui, & generationi adverſa, huc uſque latet.*

Et populi, & ſalices plantæ, fructum perimentes.

Verum Theophraſtus lib. 3. cap. 2. de hiſtoria plantarum, & Plinius lib. 16. cap. 16. vocem ὠλεσικαρπος non ſic accipiunt dictam ab Homero, ut ſignificet fructuum, ac ſeminum humanorum perditionem, ſed ipſius arboris, Plinii verba hæc ſunt, Ociſſime autem ſalix amittit ſemen, antequam omnino maturitatem ſentiat, ob id, dicta ab Homero frugiperda: ſecutaque ætas, ſcelere ſuo, interpretata eſt ſententiam, quando ſemen ſalicis, mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat. Hæc fere Janus Cornarius in cap. 11. lib. 4. Macri. Didymus antiquiſſimus Homeri interpres, ita ex Theophraſto de ſalice refert: ὁ καρπος τῆς ἰτέας πινόμενος ἀφανίζει τὴν γονὴν τῶν ἀνθρώπων. Id eſt, Fructus ſalicis potus, genituras hominum demolitur. Plura de Salice Galenus lib. 9. de ſimpl. med. facult. cap. 155. & Avicenna 2. Canon. cap. 326. & 686.

CAP. LXXIII.

De Croco.

Confortare crocum dixerunt exhilarando.
Artus defectos reficitque, hepar reparatque.

Hic agitur de proprietatibus quibuſdam Cro-

ci: ac primo quidem, corpus roborare dicitur; eique lætabundam quamdam conciliare alacritatem, jucunditatemve, præcipue ſi quis eo modice utatur. Immoderatius enim ſumptus, pondere nimirum trium drachmarum, letalis eſt [1].

DEINDE, vero membra defecta, ideſt debilia, ac proſtrata reficere, inque vigorem ſuum reſtituere,

---

¶ [1] *Hæc Croci quantitas non ſolum noxia; verum etiam mortifera eſt, ita enim vehementius febrim accendit, ut nullis refrigerantibus, & ſanguinis miſſionibus extingui poſſit. Sequerentur primo ab ingenti motu febrili variæ inflammationes per errorem loci; nam adaucto Cordis, & arteriarum momento, ſanguis, majori niſu ad arterias lynphaticas pelleretur, qui cum in venas ſocias, eadem proportione tranſire non valeat, ſtagnabit concretus, cum petechiarum magno adparatu; 2. Idem ſanguis ad cerebrum majori copia, & celeritate adpulſus, dolorem, gravedinem, & ſtuporem faciet. Præterea Crocus, ſua peculiari facultate, caput ferit, non ſecus ac Canphora, & & omnes ſpiritus. Ipſe Boerhaavius de ſomno Tom. 6. prælect. Academ. pag.* 2741 *ſic ait*, Narraverunt mihi Pharmacopæi, & Aromatarii, quando magnas ſarcinas validiorum Aromatum, recens, ex Aſia acceperunt, canphoram & ſimilia, tunc, ſi ſubito eas ſarcinas reſignaverint, & ſe, & Famulos obrui vix ſuperabili ſomnolentia, *Atque Haller in adnot. num. 6.* De Croci vi inebriante paſſim hiſtorias lego &c.

traditur. Superat enim in eo calefaciens, & qualitas, & facultas, ut tota ejus eſſentia, ſecundi ſit ordinis excalefacientium, & primi exſiccantium: proinde concoquendi, maturandi, emolliendi, aperiendi, & diſcutiendi vim quamdam habet, adjuvante ſcilicet, paucula quadam adſtrictione. Cor non parum exhilarat, ipſumque adeo, ac ſimul etiam hepar, atque alias corporis partes, ob inſidentem nimirum adſtrictionem, ita corroborat, ut non facile diſſolvi queant, obſtructionesque tollit. Quinetiam ſtomachum, moderato calore ſuo firmat, ejuſque tum concoquendi, tum diſtribuendi facultatem adjuvat. Immodice tamen illo utendum non eſt: quippe qui, ita nauſeam facile moveat, & cibi inappetentiam, quam Græci ανορεξίαν vocant, efficiat; ſiquidem aciditatem in ventriculo extinguit, quæ præſertim appetentiam excitat. Siccando mediocriter, diſpoſitionibus pectoris pthiſicis auxiliatur, putredines corrigit, anhelitum facilem reddit, ejuſque inſtrumenta corroborat. Nam ſi uſus ipſius mediocris fuerit, facilem reſpirationem, & amabilem coloris bonitatem facit; ſin vero citra modum, pallorem inducit, cerebrum inſ-ſtat, capitis dolorem commovet, ſenſus obtenebrat, & oculos hebetat. Vino impoſitus vehementer inebriat, adeoque exhilarat, ut inſaniam maxime alacrem, lætabundamque pariat. Si quis vero ex paſſo biberit, crapulam non ſentiet. Additur in potiones, quæ interaneorum cauſa temperantur. Pituitoſa vitia, & lethargica ſanat. Somnum conciliat. Venerem ſtimulat, menſes, & urinam ciet. Mulieribus diffical-

ficulter parientibus, in potu, duarum drachmarum pondere exhibitus, partum accelerat. (2) Illitus cum humano lacte, viſum abſtergit, & oculorum fluxiones cohibet. Aurium remediis utiliſſimus eſt. Vergentes ad ignem ſacrum inflammationes inunctus, lenit. Vulvæ, ſediſque cataplaſmatibus utiliter inditur, Plura Dioſcorides lib. 1. capi-

---

¶ (2) *Sequitur ab eius moderato uſu prompta circulatio, hinc lentus, alicubi concretus, adtenuatur, tranſit in circulationem, & per convenientia loca, inutilis expellitur, omnes ſimul excretiones in eadem proportione, ac circulatio intenditur, pariter intenduntur ſudor, perſpiratio, urina, expectoratio &c. Ideo Mulieribus, in menſium ſuppreſſione præſtat validius ac reliqua menagoga; necnon poſt Partum, in lochiorum defectu. Uſurpatur quoque in partu difficili a quamplurimis, qui fœtum ipſum excludi, eadem facilitate, ac ſanguis ipſe prodit, ſibi promittunt. Verum prudens ratio, hoc caſu tantum poſtulat, ut ab utero, modis omnibus, ad alia loca ſuperiora potiſſimum, ſanguis adfluxus revocetur; nam ad illum plus juſto confluens, inflammationem, vel ſaltem turgentiam vaſorum efficit, quæ fœtus excluſioni ſemper obſtabit, vel diram Hæmorrhagiam, omnino irrefrenabilem, niſi uterus exoneretur. Convenit vero ad robur conciliandum, mox ante partum, ſi mulier debilis fuerit, & temperamento frigidior; necnon in animi defectionibus, aliiſque pathematibus, a lenta cacochimia enatis.*

te 25. Plinius libro 21. cap. 20 Galen. lib. 7. de ſimplic. medicam. facult. capite 75. Simeon Sethi in Syntagmate. Serapion cap. 173. ſimpli-cium, & Avicenna libro 2. Canon. cap. 129.

C A P. LXXIV.

De porro.

Reddit fœcundas manſum, perſæpe puellas,
Manantemque poteſt, naris retinere cruorem,
Ungas, ſi nares intus, medicamine tali,

Duæ, hoc in loco, porri referuntur proprietates. Ac prior quidem, quod imprægnandi facilitatem utentibus mulieribus pariat: atque ne abortiant gravidæ, prohibeat. Quod ſane magni etiam Hippocratis auctoritate Plinius libro 20. capite 6. in hunc modum ſcribens confirmat: Hippocrates, de morb. Mulier. lib. 1. & 3. & alibi ſæpius, ſine alia mixtura dari jubet, vulvaſque contractas aperiri putat. Fœcunditatem etiam fœminarum hoc cibo augeri. [1] Idque non in cibo

¶ [1] *Propter acrimoniam, omnibus notam nervoſas partes irritando, vim vaſorum periſta-*

tantum, ſive potu, ſed illitum quoque, & foris admotum, præſtat. Coquitur enim in aceto, & marina aqua coma ejus; decoctoque illo, inſidentium fœminarum, præcluſi, duratique loci utiliter foventur. Folia quoque porri, muliebres locos, qui nimio humore madeſcentes, fœtum, haud continere valent, egregie purgant. Item ex abortu proſluvia ſiſtit, poto ſucco cum lacte mulierum.

ALTERA, quod ſanguinem e naribus erumpentem ſiſtat, & maxime quidem ſuccus ejus, cum aceto, addito thure, aut manna, vel galla, aut mentha. Idem quoque ſanguinem rejicientibus, cum gallæ, aut thuris farina, vel acacia, auxilio eſt. Quinetiam potæ ſeminis drachmæ duæ cum paribus myrti baccis, veteres ſanguinis ex pectore rejectiones ſanant. Acrimoniam enim quamdam habet porrum, & adſtringendi aliquam vim; ſed ſemen acrius eſt. Plura ſupra cap. 13.

---

ticam intenſiorem excitant, atque inde omnes excretiones, urinæ præſertim. Unde liquet liquorum craſim mutare, & acriorem reddere, necnon ipſam nutritionem impedire. Cæterum, non videtur quomodo fœcunditatem poſſit augere, niſi nervos pruritando, veneream tintiginem validiorem provocat, quod ad fœcunditatem non multum facit, quia a nimio eretiſmo partes fœcunditati dicatæ vel reſolvuntur, vel ſtupent, & occaleſcunt, ipſæ tentigini, & conceptioni ineptæ. De eius morbis ſatis in Teſtu cap. 13.

CAP. LXXV.

De Pipere.

Quod piper eſt nigrum, non eſt diſſolvere pigrum.
Phlegmata purgabit, concoctricemque juvabit.
Leucopiper ſtomacho prodeſt, tuſſique, dolorique
Utile, præveniet motum, febriſque rigorem.

Agitur hoc in loco de triplici genere piperis, longo ſcilicet, albo, & nigro. Et fructus quidem, ut lib. 8. cap. 42. de ſimpl. med. facult. Galenus memoriæ prodidit, nuper admodum germinantis arboris, oblongum piper eſt, quare etiam maturo humidius, humiditatis ejus indicium eſt, quod facile repoſitum perforetur, ac non protinus mordicet, ſed paulo poſt incipiat, verum pluſculum duret. Fructus, veluti acerbus, immaturuſque, album eſt piper, nigro quidem acrius, Nam illud, jam quaſi ſuperaſſatum eſt, & ſuperexſiccatum. Longum quidem piper, μακρὸν Græci, album λευκὸν, nigrum μέλαν πέπερι vocant. Sane prioribus duobus verſibus, tres nigri comprehenduntur proprietates.

PRIMA, quod in diſſolvendo non ſit pigrum, hoc eſt, craſſos, glutinoſos, ac frigidos humores, flatuoſoſque ſpiritus egregie diſcutiat. [1] Valenter enim, tum excalefacit, tum deſiccat, ordine nimirum tertio completo.

SECUNDA, quod phlegmata expurget. Viſcidam enim pituitam, quæ in interiore corpore, nempe in thorace, pulmone, & inteſtinis reſidet; concoquendo, atque extenuando diſſipat, expellitque.

TERTIA, quod plurimum adjumenti concoctoriæ adferat facultati: Hoc ipſum Dioſcorides etiam lib. 2. cap. 145 iis confirmat verbis: Somnum, inquiens, & adpetentiam cibi conciliat, concoctionem adjuvat: utimurque, ob id, eo ad inunctus. Porro ad eum uſum melius eſt longum: quippe quod, Galeno lib. 4. cap. 10. de Sanitate tuenda teſte, flatuoſi ſpiritus craſſitudinem ſolvit; & quæ in præcordiis pigra ceſſant, ad ventrem depellit, & concoquendis, quæ ſumpſeris ſubvenit.

Poſterioribus duobus verſibus, quinque albi piperis referuntur utilitates.

¶ (1) *Qui ſtomaco frigidiores ſunt, & phlegmate nimio gravantur, unde faciles cruditates, indigeſtiones, nauſea, vomitus, eius uſum facile ferunt, pro faciliori digeſtione; Bilioſi vero, & ſanguinei non ſine gravi noxa, quia acres humores habent, qui temperandi ſunt, & blandis alimentis corrigendi, in putridum liquamen abeunt, unde urinæ ardor, gingivarum eroſio, maculæ, ſcorbutus.*

PRIMA, quod ſtomacho conferat: ipſum enim, ut Galenus, eodem, quo antea loco, teſtatur, ſupra duo reliqua genera roborat.

SECUNDA, quod linctu, potuque, tuſſientibus opituletur: præſertim, ſi ex frigido, & craſſo humore tuſſis evenerit: tum namque piper album calefacit, incidit, & diſſolvit. Pari modo & cunctis aliis frigidis, & a pituita ortis, pectoris vitiis ſucurrit [2].

TERTIA, quod dolori ſubveniat: idque intelligendum, vel de dolore pectoris, ut jam dictum eſt [3], vel de dolore flatuoſo. Potum enim

---

¶ (2) *In Empyemate, Phthiſi pulmonali, aſthmate humorali, aliiſque pulmonis chronicis adfectionibus, omnes Medici, acria expectorantia convenire putant; tam ad tuſſim concitandam, pro faciliori expectoratione, quam ad lentos humores reſolvendos. Hinc loco Piperis, quod acrimonia ſua humano corpori eſt ſatis adverſum, radici Hypecacoana, Poligola virginiana; oxymelle ſcillitico, aliiſque ſimilibus utuntur.*

¶ [3] *Huic dolori, qui Pleuritidis veræ, vel etiam notæ eſt indiviſibilis comes, Febre acuta ſtipatus, per acria, & irritantia medicamenta numquam eſt ſubveniendum, ne forte intenſior ſeviat; ulterius fibris, & nervis laceſſitis, qui jam ab inflammatione vaſorum nimis tenſi ſunt. Laxantia, & anodina tantum convenire videntur; neque dum materia adhuc cruda perſiſtit, expectorantia in uſu ſint, niſi prius dolor aliquantulum*

cum melle, & recentibus lauri foliis, flatuoſos ſpiritus, & tormina diſcutit.

QUARTA, quod præſumptum, febrium acceſſiones, ſive exacerbationes παροξυσμοὺς Græci vocant, avertat: & hoc quidem in febribus frigidis (4): Earum namque materiam excalefaciendo, quodammodo diſſipat, & expellit:

QUINTA, quod febrium horroribus, circuitu repetentibus, ſive potu, ſive illitu, ſubveniat:

---

remiſerit, cum maturationis ſignis. In viſcerum, & ſtomaci cruciatibus, a cruditate, & indigeſtione producti, febre autem abſente; aromatica adhibenda ſunt.

¶ [4] *Veluti in Quartanis, & Tertianis chronicis. Monent tamen prudentiores Medici, etiam in hiſce febribus, ab aromaticis, & piperatis omnino eſſe abſtinendum; cum ſæpe obſervatum ſit, has lentas febres, quandoque in acutas, & inflammatorias facile mutari, præſertim in ſiccis, & biliofis temperamentis, etiam cum vitæ diſcrimine: Nihilominus apud vulgum, nil hoc methodo frequentius, licet effectu utplurimum careat. Neque potiones calidæ, vel calida ipſa diſcreta manu exhibita, omnino ſunt, deneganda, ut decoctum Herbæ Thè, Ligni Guajaci, aliorumque vel vinum generoſum, quia frigus, ægrotantibus nimis moleſtum, temperant, & brevius faciunt. Fertur nonnullos per Annum, & ultra, aliqua febre lenta vexatos, a larga vini potione faciliter evaſiſſe.*

Nervos enim & muſculos caliditate ſua vehementer roborat, & in eis reſidentem materiam conſumit. Hinc eſt quod lib. 3. cap. 1. Macer in hunc modum cecinerit:

Quodque movere ſolet, frigus, periodica febris
Compeſcit, febris ſi ſumitur ante tremorem;

Quod 2. Canon. cap. 556. iis verbis Avicenna innuere etiam voluit, inquiens: Fricando, fit inunctio ex ipſo, cum unguento, & confert rigori. Ejusque rei exempla ſunt apud eundem 1. 4. trac. 2. cap. 12 Et hæ certe facultates, non albo tantum piperi, ſed & reliquis quoque generibus conveniunt. Liberalior piperis uſus, quemadmodum eſt apud Ariſtotelem Sect. 1. problemate 44. urinas prolicit, parcior autem, alvum dejicit: e contrario vero ſcammonia. Piper caliginem, quæ oculis obverſatur, abſterget. Serpentium morſibus auxiliatur. Anginæ, eo, & melle convenienter perunguntur: Cum uva paſſa manducatum, pituitam a capite elicit. Strumas cum pice diſcutit. Vitiligines ex nitro emaculat. Plura Plinius libro duodecimo capite ſeptimo, & Serapion capite 735. de ſimplic. medic. facult.

C A P. LXXVI.

DE GRAVITATE AUDITUS.

ET mox poſt eſcam dormire, nimiſque moveri,
Iſta gravare ſolent auditus, ebrietaſque.

Hic: tria recenſentur, quibus auditus prægravari ſolet.

PRIMUM, cibus, quem ſomnus ſtatim excipit, & maxime quidem, ſi ventriculus eo diſtentus fuerit. Hic enim concoctionem impedit, & cruditates gignit. Ex inconcoctis vero, ac crudis in ventriculo cibis, viſcoſi, craſſi, & flatuoſi ſuſcitantur fumi: qui, in caput ſublati; cum exitum non inveniant, auditorios obſtruunt meatus, auditumque gravant (1). De hoc nonnihil etiam ſupra cap. 3.

SECUNDUM, motus, ſive labor vehementior, illico poſt ingeſtum cibum ſuſceptus. Cujus cauſam Galenus in commentario περὶ εὐχυμίας, καὶ κακοχυμίας capit. 5. hanc eſſe tradit, Nam ſicuti, inquit, bonæ valetudini, ante cibum exercitatio, maximum adfert commodum, ſic qualiſ-

¶ [1] *De his fuſius Tom. I. pag.* 117. *n.* 12.

cunque, ſumpto cibo, motus, noxius (2) admodum eſt. Alimentum enim ex ventre, ante concoctionem, in diverſas corporis partes diſtribuitur, propterea que crudi humoris copia per venas aggeritur. Unde craſſi, etiam, ac flatuoſi ſpiritus surſum elati, meatus auditorios obturant. Idem quoque lib. *6.* de ſanitate tuenda cap. 8. iis teſtatur verbis. Non leve incommodum, nonnullis accidit, cum repleti cibo ſe exercitant. Nonnullis enim, & caput impletur vaporibus, & in jecinore, aut ponderis ſenſus, aut diſtentionis, aut utriuſque percipitur: Et lib. 1. cap. *9.* de aliment. facult. Carnes inquit, inanitæ, rapiunt ex ventre ſuccum non modo ſemicoctum; ſed nonnunquam etiam omnino crudum, atque incoctum; cum cibo ſumpto, operibus ſeſe reddiderint: ob eamque cauſam ii, graviſſimis morbis poſtea prehenduntur, & ante ſenectam intereunt.

Stare tamen poſt comeſtionem, vel ſuaviter deambulare, quo cibus ad fundum deſcendat ventriculi, multum expedit, & confert, ob bonam ciborum concoctionem. Idque, vulgato etiam hoc comprobatur verſiculo:

Poſt cœnam ſtabis, aut paſſus mille meabis.

TERTIUM, ebrietas. Nam ex calidi vini temperatura, multi omnino vapores, ac fumi, ad auditus ὄργανον prompte deferuntur, qui, cum

---

¶ (2) *Quare crebior motus, ſtatim poſt abſumptum cibum, nocere poſſit, pag.* 108. *num.* 8. *primi Tomi dictum eſt.*

exitum non inveniant, ſpiritum ejus inſitum, perturbant, & audiendi difficultatem, [3] Græcis βαρηκοΐαν, καὶ δυσηκοΐαν appellatam, pariunt. Neque vero auditui ſolum, ſed viſui quoque, ac reliquis ſenſuum inſtrumentis omnibus, ebrietas nocet, quemadmodum 4. 3. cap. 2. Avicenna, iis teſtatur verbis: Ex eis quidem, quæ nocent auri, & reliquis ſenſibus, ſunt, nauſeoſa ſatietas, & repletio, & proprie ſomnus ſuper repletionem. In nonnullis exemplaribus, hic etiam verſus adſcriptus habetur:

Balnea, ſol, vomitus, adſert, repletio, clamor.

Nec male quidem; ſiquidem, & hæc auditum gravare, & aurium ſonitus generare 4. 3. cap. 11. auctor eſt Avicenna. Oportet, inquiens, ut omnes iſti vitent ſolem, balneum, motum laborioſum, vomitum, clamorem, coitum, & repletionem, & ut leniant naturas ſuas.

¶ [3] *Vini Spiritus caput attollunt, & hebrietatem faciunt, ſtuporem, hebetudinem, & alia ſympthomata. Probatum eſt pariter pag. 196. n. 16. Tom. I. ventriculum, & omnia vaſa, a vini uſu roborari, & ſanguinem ad caput pelli, & ejus vaſa impleri, pluſquam eorum capacitas poſtulat. Hinc auditus gravis, ſonitus, tinnitus, & ſimilia, a vaſorum diſtractione, & majori ſanguinis celeritate. Ab eadem cauſa oculi ipſi caligant, nimio ſanguine, ſuffuſi. Hæc eadem ſympthomata ab alia quoque cauſa recognoſcuntur. Vid. pag. 50. n. 121. Tom. I.*

CAP. LXXVII.

DE TINNITU, SIVE SONITU AURIUM.

MOtus, longa fames, vomitus, perċuſſio, caſus,
Ebrietas, frigus, tinnitum cauſat in aure.

Septem, hoc in loco, enumerantur ſonitus, ſive tinnitus aurium cauſæ.

PRIMA, motus, immoderatior ſcilicet. Humores enim, & ſpiritus, vehementiore, atque inordinato corporis motu concitati, craſſos, ventoſoſque generant flatus, quibus ſurſum vergentibus, cum facilis non pateat exitus, tinnitus (1) excita-

¶ (1) *Præter ſanguinem maiori celeritate ad caput adpulſum, ut in violentiori motu accidere ſolet, aliave ſimili cauſa, nil amplius videtur ad illud, per vaſa pervenire poſſe. Cum revera ad tinnitum excitandum ſatis ſufficiat major ſanguinis adfluxus, & celeritas ad capitis vaſa, quæ nimis diſtracta, ipſos auris molles nervos, fere ad convulſionem uſque, tendunt, & irritant. Turgent enim hæc vaſa; non quia ſanguis ad ea advectus regredi nequeat; nam continuo in medullam oblun-*

tur. Ac plurimum ſane, ob ventoſi flatus in auditorio meatu commotionem, naſci ſolet.

SECUNDA, fames, ſive longior, ultra conſuetam edendi horam, abſtinentia. (2) Cujus Avic. 4. 3. cap. 9. hanc tradit eſſe cauſam: Nempe, quod humores, per corporis molem diſperſi, ac quieſcentes, longiore fame exagitentur. Natura enim, cibo, in quem agat deſtituta, ad humores convertitur, eoſque reſolvit, & commovet.

TERTIA, vomitus violentus, & multus. (3)

---

gatam & in alios nervos, cerebri ſubſtantia evacuatur, variis dicata uſibus; ſed quia ſub vehementiori motu, inter adfluxum, & refluxum nulla eſt proportio, plus enim ſanguinis ad caput fertur per arterias, quam ſuccus nerveus ab Encephalo ad partes fluit. Vid. pag. 8. n. 1. Tom. I. ubi de nervis.

¶ (2) *Ex adverſo propter inediam diu ſublatam, deficit vaſis definita humorum quantitas, præſertim in capite, ob ſitum erectum, qui, artus inferiores turgere facit, dum caput exinanitur, cujus vaſa, ex aliqua parte inania collapſa, decidunt, & membrana timpani cum ejus corda flacceſcit. Hinc hebes auditus, cum gravi ſonitu, & murmure, quia adverſus radios ſonoros, nullo modo renititur.*

¶ [3] *A conatibus crebrioribus, qui vomitum comitantur, contenta capitis, nimio humore gravantur. Sub ipſis enim conatibus, ventriculus ſurſum elevatur, & pulmones comprimit, cavitatemque*

In hoc enim motus accidit vehementior, quo humores exagitati, ſurſum ad caput feruntur, quo fit, ut oculi nonnumquam, ac facies rubeſcant, viſuſque debilitetur; nonnumquam vero vapores, ac ventoſi flatus, ad auditorium pertingant organum, tinnitumque excitent.

QUARTA, prægreſſa plaga, ſive percuſſio ſphærulæ capitis, & maxime, qua parte aures ſitæ ſunt. Innato enim auditus aeri, vehementius inde exagitato, ſpiritus accedit. Siquidem membro aliquo læſo, quemadmodum in lib. de renum (4) affect. dignot. & curat. cap. 12. Galenus

---

ejus arctat: quo caſu arteria pulmonalis a dextero cordis ventriculo egreſſa, in anguſtatum pulmonem nequit exonerari, neque idem ventriculus in arteriam; neque vena cava, & jugulares in ventriculum: Hinc vaſa capitis turgent, eo magis, quia per arterias carotides, ad idem caput, ſub ipſis vomendi conatibus, fertur ſanguis citatiori motu, dum minuitur, regreſſus; & pulmones pluſſquam par eſt, expirato aere, contracti perſtant, per inſpirationem iterum ampliandi, quo facto redit circulatio, & caput continuo depletur.

¶ [4] *Per conſenſum partium ſolidarum, & præſertim nervi vagi, qui plus, minuſve omnia viſcera adit. In renum inflammatione, caput læditur, delirio, ſtupore, gravedine, aliiſque. & paraphrenitidem deprehendimus, illæſo Capite. Idem quoque ab uteri, aliorumque viſcerum inflammatione, ſequitur.*

teſtatur, ſpiritus ſtatim, & ſanguis, qui ſunt naturæ vehicula, eo concurrunt: ex quorum deinde commotione tinnitus accidit.

QUINTA, caſus; præſertim ſupra caput. Cujus, eadem cum præcedente, ratio eſt. Quinetiam humores in corpore, ex quolibet caſu vehementer exagitantur.

SEXTA, ebrietas, & maxime quidem ex largo vini potu. [5] Inde enim caput fumis repletur ac vaporibus, quibus ad auditorios meatus vergentibus, innatus eorum aer commovetur, & ſonitus quidam excitatur.

SEPTIMA, frigus immodicum. Eo enim auditus organum, & naturalis cerebri calor, debilitantur, ut flatuoſos generent ſpiritus, quibus ad aures penetrantibus, tinnitus facile elicitur. Neque ob dictas ſolum cauſas; ſed ob alias etiam non paucas, ſonitus in auribus fiunt, (6) Nempe ob flatuoſum ſpiritum in capite generatum, ac commotum. Ex ſonitu ſaniei, quæ in ipſa fortaſſis aure genita eſt: aut ex fervore putis in partibus ejus, aut ex motu vermium, in auditoriis meatibus ſæpe numero eveniente, aut, ob humoris, in

¶ (5) *Vid. pag. 196. n. 16. Tom. I., & alibi, ubi fuſius de vini effectibus.*

¶ (6) *Frigida, & humida tempeſtate, inſenſibilis perſpiratio, quæ in Capite uberrima eſt, aliquo modo intercipitur, unde caput gravatur ab humore retento, & coryzam, ſurditatem, auditum gravem, & alia pathemata parit.*

toto corpore ebullientis commotionem: ſicuti in febribus fere, & paroxyſmorum principiis contingit: Aut ob ſuperfluam in corpore repletionem, præſertim in capite. Aut ex lenta, & craſſa materia in ventoſos flatus reſoluta: Aliquando, ob pharmacorum auricularium uſum, ſonitus quidam etiam fiunt. Qui in febribus ſonitus fiunt, minime interturbandi ſunt; ut plurimum enim ſtatim ſedantur. Plura Galenus lib. 3. de compoſitione Pharmacorum ſecundum locos cap. 1. de ſonitu in auribus. Serapion tract. 2. cap. 12. de ſurditate, & Avicenna loco jam citato.

CAP. LXXVIII.

De visus nocumentis.

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cæpis, faba, lens, fletuſque, ſinapi,
Sol, coituſque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Unum, & viginti numero hic referuntur, quæ noxam oculis important. Ac PRIMUM quidem Bal-

Balneum, idque tam humidum, quam ſiccum, (1) hoc ſtupha Barbaris, Latinis aereum balneum dicitur: Illud vero Tina vulgo, Latinis Solium appellatur. Duplici porro nomine, utrumque oculis officit. Primum quidem, immodice excalefaciendo, temperaturas eorum deſtruit. Natura enim, velut ſupra oſtendimus, frigidi ſunt, & aquei, Deinde vero tenuiores humiditates, quibus viſivi, iique ignei temperantur, refocillanturque ſpiritus, reſolvit, & exſiccat. Atque hinc adeo prope Rhenum, ubi plurimus, utriuſque balnei, uſus eſt, non pauci paſſim ocurrunt cæci, quemadmodum in Hollandia, ob inordinatam victus rationem, multi leproſi.

SECUNDUM, vinum; (2) & maxime quidem, ſi immodice bibatur. Cum enim, caput, ut ſæpius

---

¶ (1) *Balneum frigidiuſculum univerſam corporis peripheriam comprimens, ad caput majori copia ſanguinem urget. Vid. pag.* 53. *n.* 12. *Tom. I. non repugnat oculos ophtalmia gravare: In Balneo aereo, ſive* ſtupha *ob nimium calorem, & minerales vapores, ſanguis, & humores omnes rareſiunt, aucta globulorum elaſticitate, veluti a plethora ad vaſa, quæ ita diſtracta, præſertim lymphatica, ſanguinem rubrum admittunt, unde inflammatio per errorem loci, in albuginea oculorum tunica, familiariſſima. Idem pariter ab inſolatione, fumo, vini abuſu, ſanguinis craſim lædente.*

¶ (2) *Vid. pag.* 252. *n.* 4. *Tom. I.*

jam dictum eſt, vaporibus, ac fumis repleat, non oculos tantum, ac viſum; ſed reliquos etiam ſenſus omnes, immoderatiore uſu, hebetare putandum eſt.

TERTIUM, Venus, [3] immodica ſcilicet; hanc enim obtundere oculorum aciem, Medici omnes uno ore prædicant. Cujus cauſam, Petrus Aponenſis Sectione 4. problematum Ariſtotelis, comment. 3. hanc eſſe tradit: Nempe quod coitu auferatur id, quod commodum eſt oculis; humi-

¶ (3) *Capite I. n. 1. Tom. I. probatum eſt, partes, & organa corporis noſtri, continuo, & perenni exercitio deſtinata, majori copia ſucci nervei indigere, ut proprio munere fungi poſſint. Hic idem nervorum ſuccus, ſub ipſo exercitio totus evaneſcit, non ſecus ac, perſpirabile ſanctorianum, vel minima ejus pars, tantum per venas abſorbentes, ſanguini, atque ex hoc, cerebro reſtituitur. Liquet ergo ex probatis, in veneris immoderato exercitio, una cum ſemine, magnam ſucci nervei copiam de corpore demi, aliis fortaſſe uſibus dicatam; cum jam ex Boerhaavio compertum habeamus, in coitu, non non ſolum ſemen, ſed & lympham nerveam effundi ab ipſis nervis, qui patulo oſculo, in teſtes, veſiculas ſeminales, & in ductus deferentes, fortaſſe hiant, unde ab excedenti veneris uſu, paralyſis, tremores, tabes dorſalis, & maraſmus. Quid mirum ergo, ſi oculi ipſi, variis ægritudinibus afficiantur, nervis jam areſactis, & humoribus exſiccatis?*

dum ſcilicet aqueum, & ſubtile, quo ſpiritus fulciuntur viſivi. Oculus enim, ut lib. 5. cap. 1. de generatione animalium, & alibi ſæpius Ariſtoteles adſeruit, humidus eſt, & de natura aquæ. Jam vero evulſis, atque evacuatis humidis, partes ſuperiores neceſſario exſiccantur. Quo fit, ut oculi, qui humiditate vigent, a ſua decedant natura, hebetioreſque fiant. Merito autem humiditate vigent; niſi enim ea ſuſtentarentur, per igneos facile ſpiritus, qui in frequenti ſunt motione, exareſcerent. Atque hinc ſane conſtat, ſuperiores partes, immoderato concubitu, plus juſto exſiccari, viſuſque aciem hebetari: Humores enim deorſum trahuntur.

QUARTUM, Ventus, & præcipue Auſtrinus: De quo ſect. 3. aphor. 5. Hipp. Νοτοὶ inquit, βαρυήκοοι, ἀχληώδεες, καρηβαρικοὶ hoc eſt, Auſtri auditum gravantes caliginoſi caput gravantes, torpidi, diſſolventes. [4] Auſter enim natura calidus, & humidus eſt, ac magna ex parte pluvias, &

¶ (4) *Probatum fuit pag. 125., & 126. n. 5. Tom. I. frigida, & ſicca tempeſtate, inſenſibilem perſpirationem intendi; ſecus vero, ſpirantibus auſtris, aer fit humidus, levis, vaporoſus, perſpirationi omnino inimicus; Ideo eo tempore, corpore ponderoſiores nos, ipſi deprehendimus, graves, torpidos, exercitationibus cunctis ineptos; digeſtio difficilis, appetitus imminutus, catarrhus, capitis gravedo, & alia hujuſcemodi ſequuntur. De reliquis alibi jam ſatis.*

tempeſtates adfert, quare etiam τὰ τῶν αἰθήσεων ὄργανα ἀπροσβέννυσὶ quemadmodum Philotheus ait, ideſt, ſenſuum inſtrumenta implet, & obtundit. Cæterum vox ἀχλυώδεοσ bifariam interpretari poteſt. Primum, ut ad auſtros ipſos referatur, qui caliginem aeris efficiunt. Iis enim flantibus, aer ſit turbidus, craſſus, caliginoſus, & tenebroſus. Secundo, ut ad oculos ipſos, potius hæc vox referatur, qui flantibus auſtris, caliginoſi redduntur, minuſque acute vident. Ut enim reliqua omnia ſenſuum inſtrumenta, non ſatis probe ſuo funguntur munere, ſic etiam oculi ipſi, ab auſtro caliginem quamdam contrahunt. Lege Galenum commentario 1. in 1. epidem. Stat. 1. aphor. 8.

QUINTUM, piper: Hoc enim cum impenſius exſiccet, acres omnino vapores, frequenti eſu generat, qui ubi ad caput aſcenderint, oculos mordicant, & exſiccant.

SEXTVM, Allium: quod acrimonia ſua, & vaporibus, quibus caput replet, oculos offendit. Supra cap. 13.

SEPTIMUM, fumus: qui certe, quod mordaciſſimus ſit, nimiumque exſiccet, infeſtiſſimus eſt oculis. Ariſtotele problem. 22. Sect. 31. teſte.

OCTAVUM, porrum: hinc enim craſſi, ac melancholici generantur fumi, qui ſurſum elati, oculorum aciem hebetem faciunt, ſi quis eo frequentius utatur. Supra cap. 13.

NONUM, Cepæ: horum namque eſu, acres ſimiliter ad caput ſubmittuntur fumi, qui non viſum tantum; ſed ut quidam volunt, rationalem

etiam animæ partem lædunt: Simeon Sethi in Syntag.

DECIMUM, faba: [5] flatuoſum enim, craſſum,

¶ [5] *Omnia Legumina tempore digeſtionis aërem dant elaſticum, unde flatus &c. Vid. pag. 109. n. 5. Tom. I. Hæc eædem, quia nimia partium tenacitate præſtant, ſerius, quam reliqui cibi digeruntur, & humorem craſſum pariter, & lentum generant, qui in longa, & diuturna circulatione, ſub viribus preſſoriis omnium machinarum, numquam, vel raro attenuatur, vel ſaltem in quotidiano exercitio, & crebro labore, ut in aratoribus, aliiſque. Num vero ingenii hebetudo, a continuo leguminum eſu, num a vita dura, & laborioſa ſit recognoſcenda: incertum. Videtur autem, utramque cauſam, ad eam inducendam concurrere, inevitabili neceſſitate: nam in aſſiduo labore, ſpiritus nervei, & ſanguinis ſubtilior pars evaneſcit, a perenni exercitatione muſculorum, & cerebrum exhauritur, ſolidæ partes, & vaſa minima præcipue, occalleſcunt. Duriora pariter alimenta, rudiorem quoque alimoniam ſuppeditant, quæ promptiores, & alacriores ſpiritus, nullo modo producere poſſunt pro ingenii, & functionum animalium promptitudine, & ſublimitate. Accedit tandem his cauſis hominum oſcitantia, qui, vel quia agris colendis, & aliis duris exercitiis ſunt deſtinati ad vitam ſubſtentandam; vel quia piget, toto vitæ decurſu, ſtudio, & ſeriis lucubrationibus operam dare, & interim, ſibi inutiles, atque Reipublicæ inoperoſi vivunt.*

que, & melancholicum generat ſumum, qui horrenda, & terribilia parit ſomnia, mentem perturbat, ingeniique aciem obtundit, & ſpiritus viſivos obtenebrat. Galen. lib. 1. de alim. fac. cap. 26. & Simeon Sethi in Synt.

UNDECIMUM, lens: Ea viſum integrum, & inculpatum hebetat, ipſum immoderate exſiccans. Galen. lib. 1. de aliment. facul. cap. 25.

DUODECIMUM, fletus (6) præſertim immodicus: Hic enim, cum retentricem oculorum facultatem imbecilliorem reddat, viſum vehementer oblædit, & ſanam oculorum aciem, nimio plus ſiccando, hebetat.

DECIMUM TERTIUM, ſinapi: quod acrimonia ſua viſum efficit debiliorem.

DECIMUM QUARTUM, conſpectus Solis: [7] Et hoc quidem, ob excellentem ejus

---

¶ (6) *Adfluunt humores ad oculos, majori quantitate, quam par eſt, & vaſa minima, Tunicæ adnata, ita diſtenduntur, & relaxantur, ut etiam ſanguinem rubrum admittant; hinc ophtalmia, & fortaſſe aliæ oculorum ægritudines. Pupilla ipſa a dilatatis vaſis circumpoſitis anguſtatur; & lens cryſtallina, a nimio humorum affluxu, obſtrui poteſt. Nam poſt nimium fletum, oculi turgent, rubent, & caligant. Eadem pariter ſymptbomata a fumo experimur, qui oculos ad involuntarium fletum cogit, & ſimiles effectus parit.*

¶ (7) *Radii ſolares, directe oculos ferientes, crebriori ſtimulo Pupillam laceſſunt ad convulſio-*

ſplendorem, ac nitorem, quibus viſum deſtrui, manifeſta conſtat experientia, & ratione. Senſibilium enim exuperationes, ut lib. 2. de anima cap. 12. Ariſtoteles adſtruit, ſenſuum inſtrumenta corrumpunt: Quod quidem Galenus etiam lib. 10. de uſu part. cap. 3. in hunc modum ſcribens adprobat: Solem ipſum, inquiens, ſi quis oculis inconvenientibus velit intueri, oculos celeriter, perdet: multique, in Solis defectibus, cum eum affectum, qui Soli acciderat, planius noſſe cuperent, fixis oculis Solem intuentes, imprudentes, prorſus fuerunt obcæcati. At enim, per nivem iter facere, quam oculis ſit pernicioſum, ſi minus Xenophonti credis, experientia tibi diſcere id licet. Sin vero naturalius quidpiam audire ſuſtines, ubi ellychnium ardens, aut aliam quamvis flammam in ſole luculento conſtitueris, cernes eam protinus marceſcere, atque etiam ſi prope/quamlibet flammam magnam, ellychnium poſueris, vel aliam quamvis flammam minorem, repente extinguetur: cum, quæ minor lux eſt, a majore vincatur ſemper, ac diſſipetur. Lege eundem etiam lib. 1. de cauſis ſymptom. cap. 6.

---

nem uſque, quæ nimis conſtricta, nequit iterum ampliari, vel ſaltem difficile, poſtea vero in paralyſin incidere poteſt, propter ſublatam convulſionem; Nervi optici, acriter quoque, a vividiori lumine feriuntur cum doloris ſenſu, qui Capiti pariter comunicatur. Hinc præter reliquas oculorum adfectiones, inevitabilis ſequitur Ophtalmia.

DECIMUM QUINTUM, Coitus: (8) & maxime quidem, intempeſtivus, ac immoderatior. Hunc enim paulo ante, capiti, oculis, omnibuſque ſenſuum inſtrumentis, plurimum nocere oſtendimus.

DECIMUM SEXTUM, Ignis; Cujus frequens inſpectio, & ſplendor, vehementer exſiccat oculos, viſumque debilitat. [9] Quo fit, ut fabri ferrarii, & quicunque artes ſuas, quibus, ſe, ſuoſque ſuſtentant, ad ignem exercent, rubros fere, & debiles habeant oculos.

DECIMUM SEPTIMUM, Labor: immodicus ſcilicet. Is enim ſanguinem efficit ſicciorem, ſicut etiam reliquum corpus. Siccitas autem, totam cutem indurat, atque adeo, etiam eam, qua pupilla integitur. Itaque vis illa conſpiciendi cooperitur, & deliteſcit. Ariſtoteles problem. 14. ſectione 31.

DECIMUM OCTAVUM, Ictus, ſive per-

¶ [8] *De Morbis a coitu nimio num. 3. dictum fuit.*

¶ [9] *Omnes humores, & ipſe ſanguis, inſolatione, motu nimio, æſtuatione, aliiſque cauſis rareſcit, & licet etiam vaſa relaxentur, nihilominus pletoram ad vaſa inducunt, & globuli rubri in lymphatica tranſeunt; quapropter ophtalmiam oculorum producunt, nullo modo ſanabilem, quia cauſa ſemper eadem perſiſtit, uſquedum exiliſſimæ Tunicæ albugineæ vaſa, varicoſa fiunt, & occalleſcunt.*

cuſſio capitis; & maxime quidem, qua parte oculi ſunt: Cum enim, ſanguis inde, ſicuti præcedenti capite oſtendimus, ad oculos rapiatur, accidit, ut ſpiritus viſivi perturbentur, adeoque viſus, ob id debilitetur, & apoſtema nonnumquam generetur.

DECIMUM NONUM, nimius acrium rerum uſus: cujuſmodi ſalſamenta nonnulla exiſtunt, quæ fumorum acrimonia oculos obtundunt.

VIGESIMUM, pulvis, ſive ambulatio per loca pulverulenta: pulvis enim ad oculos pertingens, viſum maxime obſcurat.

VIGESIMUMPRIMUM, immodicæ vigiliæ, quæ non oculos tantum; ſed totum etiam corporis habitum impenſius exſiccant, & extabefaciunt.

AD HAEC, nocet oculis quælibet repletio, & quicquid naturam exſiccat, quicquid item ſanguinem conturbat, ſive ex rebus ſit ſalſis, ſive acribus, ſive etiam aliis, & omnis ebrietas. Vomitus, medio quodam modo ſe habet: confert enim quatenus ventriculum expurgat, nocet vero, quatenus cerebro inſidentes materias commovet, adque oculos defluere facit. (10) Quod ſi neceſſa-

¶ (10) *Hebetant oculi quandoque, ab humorum cacochimia, qua, ipſi oculorum humores infarciuntur, unde opacitas, variique morbi, & etiam catharacta. Hinc in primo morborum apparatu omnes peritiores Medici, validiora purgantia conſulunt, Ptyſanam, decoctiones ex ſalſa parilla, cortice ligni ſancti, & alia ſimilia: præter*

rius fuerit, cum facilitate, a ſumpto cibo, provocandus eſt. Somnus quoque ſuperfluus, quique repletionem mox ſubſequitur, infeſtus admodum eſt oculis. Sic quoque copioſa ſanguinis detractio. Potiſſimum vero, quæ per frequentem cucurbitularum affixionem celebratur. Plura Avicenna 3. 3. tract. 1. cap. 5. & 3. 3. tract. 4. cap. 4.

CAP. LXXIX.

De corroborantibus visum.

FOeniculus, verbena, roſa, & chelidonia, ruta:
Subveniunt oculis, dira caligine preſſis:
Nam ex iſtis aqua fit, quæ lumina reddit acuta.

Quinque hoc loco recenſentur herbæ, quarum ſucco, & ſtillatitio liquore, ſive aqua, viſus reficitur, ac recreatur.

PRIMA, fœniculus: [1] ſuccus namque, e caule, & foliis expreſſus, ſive diſtillatus, quemadmodum lib. 3. ad Almanſ. cap. 47. Rhazes te-

fonticulos, qui humorem redundantem quotidie educunt, una cum impuritatibus.

¶ (1) *De fœniculi utilitate, vide quæ in Cap. 49. n. 1. dicta ſunt.*

ſtatur, & nos ſupra cap. 49. abunde oſtendimus, ad excitandam oculorum aciem præſtantiſſimus habetur.

SECUNDA; Verbena; ſive Verbenaca: περιϛερεῶνα, καὶ ιραχβοτανεν Græci, Germani vero *Yſercruyt* vocant: Hujus ſtillaritius liquor, ſemel aut bis, oculis quotidie admotus, ipſorum vitiis mederi perhibetur. Qua ratione, oculorum remediis plurimum miſceri ſolet. Semen ejus, ut in Pandectis Sylvaticus refert, cum ſucco fœniculi impoſitum, oculos emundat:

TERTIA, roſa: cujus aqua, refrigerando, & abſtergendo oculorum potiſſimum fluxiones (2) cohibet, animalemque ſpiritum, ac viſum corroborat. Succus recentibus foliis expreſſus, Dioſcoridi lib. 1. cap. 12. ad oculorum circumlitiones reconditur.

QUARTA, chelidonia: Hujus ſuccus claritati oculorum utiliſſimus eſt, quemadmodum, ſatis, ſuperque oſtendimus ſupra cap. 71.

QUINTA, ruta: herba vulgo cognita, quæ viſus aciem exſiccat, graveſque oculorum dolores

---

¶ (2) *Tam aqua ſtillatitia, quam ſuccus, plus minuſve, verbenæ, & Roſarum albarum, virtutem refrigerantem præſeferunt; unde in oculorum inflammatione, in dolore capitis, parti adſectæ admotas, per lintea madida, calorem a nimio ſanguinis æſtu, & dolorem ſedant. De chelidonia idem adfirmandum eſt; De Rhuta in Cap. 13. n. 7. Tom. I.*

emplaſtri modò impoſita cum polenta mitigat. Plura ſupra capite 61.

CAP. LXXX.

De dolore dentium sedando.

SIc dentes ſerva, porrorum collige grana.
Ure cum hyoſcyamo ſimul, & Thure decenter.
Sic per chonion, & fumium cape, dente remotum.

Remedium, hoc in loco, traditur efficaciſſimum, ad ſedandum dentis, ex eroſione, dolorem. Quod conſtat, ſeminis hyoſcyami albi, & porri ſingulorum partib. 4. & ſeminis cepæ partib. 2. & ſemis Primum, optime præmundato dente, ſemina ſimul comburantur, exurgentemque hinc fumum Æger admittat, infundibulo adhibito ad affectum dentem. Lege de hoc plura apud Aeginetam lib. 3. cap. 26. Aetium lib. 8. cap. 33. Avic. 7. 3. cap. 19. & Meſuen de ægritudinibus oris, titulo, de vermibus dentium, & Roſam Anglicam cap. de dolore dentium. Hyoſcyami (1) natura eſt

¶ [1] *In ejus radice, ac ſeminibus, vim nare*

ἄνωδυν⊕, quæ doloris levamentum, adeo præſtat, ut vix percipi quidem amplius poſſit. Fumus vero ſeminum porri, atque cepæ, Avic. 1. Can. cap. 547. teſte, accommodatiſſimus eſt, necandis, ejiciendiſque vermibus, qui in eroſis nonnumquam dentibus, intolerabiles cruciatus excitant. Hyoſcyamus, ut in lib. 4. cap. 64. a Dioſcor. deſcribitur, frutex eſt, caules emittens craſſos, folia lata, oblonga, diviſa, nigra, hirſuta: flores e latere caulis ordine prodeunt, tamquam punicorum cytini, ſcutulis ſepti, ſeminum plenis, ut papaveris, Germanice *Bilſencruyt*. Gallice, *Iuſquiame*. Hiſp. *Veleno*, ἐρ'ίζαμετ' ὄξυς ἑψηθεισα ὀδονταλγοῦσι ἐςὶ διακλυσμα idest radice ejus in aceto elixa, utiliter

---

coticam, ſtupefactivam, vel ſaltem hypnoticam recognoſcimus, doloribus ſedandis utiliſſimam, quoties vero, dentium dolor ab acrimonia ſcorbutica, eroſionem producente, cauſam recognoſcit, omnia acria ſpecifica, licet dolorem temperent, humores vero ulterius exaſperant, & ſcorbutum intendunt. Talia ſunt ſemina porrorum, & cæparum, quorum loco, temperantia, ſunt adbibenda, ut aqua florum ſambuci, roſarum albarum, addito lacte, vel etiam aceto generoſo; in alkalina acrimonia præſertim. Verum ſi neceſſitas urgeat, hiſce ſpecificis conceſſis, ad dulcificantia, continuo eſt deveniendum. Verum hujuſmodi dolores per medicamenta interna ſunt curanda, quæ integram humorum maſſam, in qua ſcorbutus conſiſtit, poſſis temperare.

in dolore dentes colluuntur. Quod Macer etiam lib. 2. cap. 35. hiſce verſibus confirmat:

Ore, diu tepidum, ſi contineatur acetum,
Quo ſint decoctæ radices illius herbæ,
Dicitur immodicum dentis pacare dolorem.

Porro χονίον, quod in embuti locum ſubſtituimus, απο τῆς χονης diminutivum eſt, & ſignificat infundibulum.

CAP. LXXXI.

De raucedine vocis.

NUx, oleum, capitiſque frigus, anguillaque, potus,
Ac pomum crudum, faciunt hominem fore raucum.

Sex cauſæ raucedinis, hic recenſentur.

PRIMA, Nux: ea enim cum vehementer exſiccet, vocem exaſperat, [1] gruumque clangoribus ſimilem efficit.

¶ [1] *Non videtur, nuces vocem exaſperare poſſe, quia oleum, quod magna copia continent, aſperos humores involvit, & innoxios efficit, necnon fibras rigidas emollit, & relaxat, uti omnia oleoſa ſolent. In dolentiſſima pleuritide, oleum*

SECUNDA, Oleum: & maxime quidem, quod ex immaturis (2) olivis exprimitur. Hujus enim glutinoſa quædam pars, dum in ore continetur, ad aſperam delabitur arteriam, ipſamque, diutule inhærendo, ſtringit, & exaſperat. Omne præterea

---

ex Amygdalis recens preſſum, cum juleb de pomis præcipiunt Medici fere omnes, præſertim in ſtatu cruditatis, quando nempe, fibræ nimis rigidæ ſuppurationi reſiſtunt. Vocis inſuavitas, potius a debilitate, ab oleo ipſo enata, eſt recognoſcenda, quando nempe larinx, plus juſto relaxata, per ampliorem hiatum, aerem dimittit, & raucam vocem edit, quam baſſum *vocant, atque vox omnino evaneſcit, quamprimum rima glottidis, ita ampliatur, ut aſperæ arteriæ æqualis fiat. Hic enim effectus raro, aut numquam deprehenditur a Nucibus, etſi magna copia ingeſtis; potius vero ab alia prorſus cauſa eſt repetendus, vel ſaltem, quando eorum oleum ranceſcit, & ſtomaci, atque gulæ moleſtiſſimum ardorem adfert.*

¶ (2) *Omnibus, experientia jam compertum eſt, oleum ab olivis acerbis elicitum, facilius digeri, quam ab exſiccatis, & maturationem adeptis; præſertim diu aſſervatis. Eo enim tempore quiete, & calore ranceſcunt, & oleum pariter dant rancidum, quod, calore ventriculi, in rancidum auſterum abit, digeſtionis vires, & bilis vim deludens, quæ, ſpecifica fere virtute, omnia adipoſa cum aqua perfectiſſime miſcet, pro comodiori digeſtione,*

oleum in bilioſis corporibus prompte accenditur, quare, vocalem ſæpe arteriam, ipſis exaſperat, raucedinemque parit. Quod oleo attribuitur hoc in loco, idipſum etiam de caryino, quod e nucibus conficitur juglandibus, intelligi poteſt.

TERTIA, frigus capitis: Ipſum enim caput, comprimit, ac ſtringit: (3) quo fit, ut humores,

---

¶ (3) *Licet aer frigidus, & ſiccus perſpirationem intendat, nihilominus nimis excedens, & intenſior, fluidiori humorum parte difflata, reliquos denſat, unde omnes catharri ſpecies, propter ſtaſim in vaſis minimis enatam. Hæc enim in capitis membranis, in quibus ſtaſes facillime accidunt, copioſiſſimæ ſunt, & præſertim in pia matre, quæ omnium nervorum thecam conſtituit: Hinc humor hic craſſus, & ſpiſſus gradatim fluit per tenuiſſima vaſa Thecæ nervorum, ad corporis partes, ad Gulam, pulmonem, ſtomacum, artus omnes, & varias Catharri ſpecies iisdem partibus adfert, nimirum Gulæ anginam; Pulmonibus catharrum, raucedinem, Tuſſim, & ſimilia; ſtomaco nauſeam, & innappetentiam, artubus dolores. Facile ergo intelligitur, quare catharrus difficile curari poſſit, & omnia ſpernat efficaciſſima remedia, nam cauſa materialis, longe ſatis a ſanguinis circulatione diſtat, ideo tardiſſimo motu incedit, ægre pariter renovatur. Hujuſmodi quoque ſtaſes in reliquis vaſis lymphaticis arterioſis evenire ſolent, febre quandoque comitante, cujus ope facile ſolvuntur, ſudore, perſpiratione, vel alia quavis evacuatione erumpente: Nam adaucto ſanguinis*

qui

qui ſunt in cerebro, deorſum ad aſperam arteriam defluant, eamque immodice humectando, raucedinem excitent.

QUARTA, anguilla: De ea ſatis ſupra cap. 31. dictum eſt.

QUINTA, potus: nimius ſcilicet, & maxime quidem, ſi inſtante nocte, atque hora ſomni exhibeatur. Aſperam enim arteriam, immodicè rigat, & humectat: quæ, ex medicorum omnium ſententia, potiſſima raucitatis cauſa eſt (4).

SEXTA, pomum crudum: quo nomine, quilibet fructus crudi intelligendi, hoc in loco veniunt. Quatenus enim crudi exiſtunt, phlegmatis generant multitudinem. Quod ſi immaturi præterea, ac ſtyptici (5) fuerint, fauces exaſperant, raucedinemque pariunt. Plures cauſas raucitatis enumerat Avicenna, 10. 3. Tract. 2. cap. 1.

---

motu, & circulatione, obſtaculis ablatis, omnes excretiones intenduntur.

¶ (4) *Placide dormientibus, perſpiratio inſenſibilis ſpeditior, & copioſior eſt, a validiori cordis, & arteriarum momento excitata; nulloque muſculorum motu opitulante, qui quandoque, æquabilem turbat, uberrimam minuit, vim vitalem nempe diſtrahendo, pro voluntatis neceſſitate, Ideo per aquæ potionem, præſertim non adhuc peracta digeſtione, ſupprimitur perſpiratio, & catharri facile invadunt.*

¶ (5) *Fructus omnes acerbi fauces conſtipant, & larincis muſculos tendunt, & indurant, variis, vocem modulandi modis deſtinatos, hinc vocis inſuavitas, raucedo &c.*

D

CAP. LXXXII.

Rheumatis remedia.

Jejuna, vigila, caleas dape, tuque labora,
Inſpira calidum, modicum bibe, comprime flatum.
Hæc bene tu ſerva, ſi vis depellere rheuma.
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma, catarrhus:
Si ad fauces, bronchos, ſi ad nareis, eſto coryza.

Hic ſeptem enumerantur rheumatis remedia. PRIMUM, fames, ſive (1) jejunium, per hoc

¶ (1) *Omnes morbi, qui a quacumque repletione fiunt, ſive per errores in victu; ſive per aliquam ſuppreſſam evacuationem ſenſibilem, ac inſenſibilem, facilius per ſolam abſtinentiam, quam per validiora remedia curantur. Tum quia omnes Machinæ preſſoriæ, in ſtatu inanitionis, totis viribus, indigenis humoribus applicantur, pro eorum perfectiori digeſtione; tum quia in alimenti penu-*

enim, ipſius conſumitur materia. Fames enim, ut aphor. 59. libr. 7. Hippocrates adſerit, corpora exſiccat. Et hoc quidem ex accidenti. Nam cùm fameſcimus, ſi in fame perſeveremus, naturalis calor, qui numquam ceſſat, pabulo, in quod agat, deſtitutus, carnium humiditatem exſiccat. Quare, rheumatis quoque materiam concoquendo, ac diſflando conſumit.

SECUNDUM, (2) vigiliæ: quæ, & ipſæ sanè cùm totum corporis habitum, quemadmodum lib. 7. cap. 6. methodi medend. & comment. 28. lib. aphor. Galenus reſtatur, ſufficienter exſiccent, rheumatis etiam cauſam, nempe cerebri humiditates, neceſſario conſumunt, vaporumq; copiam ad caput tranſmitti prohibent.

TERTIUM, cibi calidi: preſertim ſi (3) a fri-

---

ria, evacuationes omnes non ceſſant, unde dum nil de novo corpori apponitur, continuo de ipſo corpore aliquid ſecedit, quod ab ipſa morbi cauſa, plus, quam a ſanis humoribus aufertur.

¶ (2) *Probatum eſt, tempore ſomni, omnes digeſtiones rite perfici, & perſpirationem pariter augeri. Pag. 85, 86 num. 18 Tom. I. Dicendum ergo eſt, ſub ſomno, omnes humores lentos, qui cujuſcumque Catharri cauſam conſtituunt, diſcuti, attenuari, & tandem expelli; vigiliæ autem ideo corpus exſiccare videntur, quia crudos generant humores, pro vitæ neceſſitate ita prorſus ineptos, ut aliquando, a tali cruditate non ſolum catharri, ſed etiam pejora mala producantur.*

¶ (3) *Adaucta humorum denſitate a quacum-*

gida materia ῥεῦμα initium duxerit. Eam enim cibi calidi concoquunt, ac maturant.

QUARTUM, labor: Hic enim, ſicuti lib. 2. de dieta Hipp. adſerit, ſuapte natura ſuperflua demit. Cujus deinde hanc adfert cauſam: nempe quod corpus ſiccet. Corpora enim laborantium caleſiunt, quibus calefactis attenuatur, & depurgatur id, quod in ipſis ſuperfluum eſt: ſed revera hoc eſt, quia calor ille exſiccat.

QUINTUM, calidi aeris inſpiratio. Et maxime quidem, ſi ex frigida materia ſit rheuma. Ea namque per calidi aeris attractationem, incaleſcit, ac maturatur.

SESTUM, moderatio potus. Nam, & hoc, corpora, perinde ac fames, exſiccat: adeoque rheumatis materiam maturando diſſipat, atque conſumit.

SEPTIMUM, cohibitio, ſive retentio ſpiritus. (4) Ea, frigido potiſſimum auxiliatur catar-

---

que cauſa, minuitur motus, quo imminuto, frigus invadit, per calefacientia tantum tollendum, per frictiones, motus voluntarios, alioſque labores; Vid. Prælect. academic. Boerhaav. Tom. 3. pag. 316. §. 433. *de perſpiratione inſenſibili.* ,, Motu moderato, & calore mediocri quammaxime adjuvari . . . . Nil vero, ei expediendo plus conducere, quam frictiones lenes, diu continuatas. *Atque pag.* 307. §. 430, . . . , Motus corporis exercitatus, ad primum initium leviſſimi ſudoris . . . . Cibi ſolidi, leves, fermentati, non pingues, interpolatis leviſſimis aromatibus &c.

¶ [4] *Nomine ſpiritus hic intelligenda pulmo-*

rho; frigefactas namque pectoris particulas, Aetio lib. 8. cap. 54. teſte, calefacit, materiamque catai-

nis reſpiratio, non ſecus, ac perſpiratio inſenſibilis univerſæ cutis. Expedit enim catharro laborantibus, eumdem aerem diutius reſpirare, qui iiſdem, pulmonis humidis, & calidis vaporibus refertus, humorum denſitatem, aliquo modo ſolvere poteſt, a nimio frigore, & diſpendio liquidioris partis enatam. Jam calor, frigori directe opponitur, & effectum omnino contrarium parit, minuendo nempe partium cohæſionem. Ideo Medici, hujuſcemodi arcani remedii non ignari, in morbis pectoris, præcipue inflammatoriis, vapores aquæ tepidæ ægrotantibus reſpirare præcipiunt; Et nos ipſi, ſapienti Naturæ inſtinctu, linteo ori appoſito in catharro, aliiſque, aerem calidiuſculum reſpirare docemur, iiſdem noſtris vaporibus repletus. In eodem pariter morbo corpus lectulo, ſub naturali calore, fovere maximum eſt remedium, quia idem aer, etiam calidiuſculus, & vapore perſpirabili dives, eumdem in externo corpore parit effectum, ac reſpiratio in pulmonibus. Ex Boerhaavio didici, quare ſimplices tumores, ab applicatione alicujus emplaſtri, facile ſolvantur: Idem humor perſpirabilis, & calor naturalis, per emplaſtrum circa cutem retentus, concretos humores, tumorem efformantes, attenuat, ſolvit, & in circulationem expedit. Verum hæc medendi methodus, ſicuti in hujuſcemodi morbis, a denſitate nempe productis, ſummopere proficit, ita periculoſiſſima in morbis putridis eſſe ſolet, in qui-

rhi pituitoſam, ac frigidam concoquit, diſpergit atq; conſumit Gal. lib. 3. c. 3 de ſanitate tuen. τῦ πνέυματ☉ κατοχή, κ̀ κατάληψις dicitur. His amplius oportet, ut is, qui catarrhum patitur, caput ſuum moderato calore continenter foveat, & a frigore, Boreali præſertim, tueatur: & maximè quidem poſt diutinos Auſtri flatus. Siquidem caput; ut comment. 12 lib. 3. aphor. Galenus ſcriptum reliquit, repletum eſt, in calida, atque humida Auſtrina conſtitutione. Frigus autem Septentrionis ſuperveniens, ceu manus quædam extrinſeca, capiens, ac premens cerebrum, veluti ſpongiam quamdam, exprimit illam, quæ in ipſo continetur, humiditatem. (5) Hæc vero, delata alias ad alium locum, iis qui faciles ſunt ad patiendum; multos generat morbos. Minimè tamen, ſub dio, ſolaribusve radiis nudum exponendum eſt, neque ad luculentum ignem, diutius commorando, excalefaciendum. Eo namque modo rheumata augentur. Multam quoque ciborum ingeſtionem, præſertim vaporoſorum, ac vini potum fugiat: imò verò quoad fieri poteſt, famem, ac ſitim toleret. Caveat etiam a potu aquæ glacialis, ac nivalis. Præterea ſupinum cubitum vitet, ne peccans humor, in poſteriorem partem, & dorſalem medullam deferatur.

bus humores, funeſtam ſolutionem minantur, per aerem frigidum, & ventilatum protinus corrigendam.

¶ (5) *Sicuti Cap.* 81. *num.* 3. *Tom.* 2. *dictum eſt.*

Ea enim pars, quum manifeſto careat meatu, quo materia excernatur, periculum eſt, ne ad nervos penetrans, convulſionem, aut paralyſin generet. Somnum item fugiat diurnum, quantumcumque poteſt vigilet: quoniam eſt radix curæ. Hæc fere Rhazes libr. 9. cap. 14. ad Almanſor. & Avicenna: 5. 3. tract. 1. cap. 13.

Ultimi duo verſus differentiam inter catarrhum, bronchon, & coryzam continent. Rheuma autem nomen eſt generale ad quemlibet materiæ defluxum ἀπὸ τοῦ ῥέω quod eſt fluo. Ejus ſpecies, ſive membra ſunt, catarrhus, bronchus, & coryza, de quibus ſupra cap. 3.

Porrò rheumatis generatio, imbrium generationi ſimilis eſt, quemadmodum libr. 2. de partibus animalium cap. 7. Ariſtoteles docet. Cùm enim ex terra vapor exhalat, efferturque in ſublime a calore, ubi ſupernum aerem ſubierit frigidum, conſiſtit: denuò in aquam, propter refrigerationem convertitur, atque in terram defluit. Fluxiones etiam, ſic ex capite oriuntur in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius eſt, quam temperamentum modicum poſtulet. Cum enim alimentum per venas ſurſum reſpirat, ubi excrementum, ob ejus loci vim refrigeratum eſt, fluxiones pituitæ, ſanieique movet. Hactenus Ariſtoteles.

CAP. LXXXIII.

De curatione pistulae.

AUri pigmentum, ſulphur, miſcere memento.
His decet apponi calcem, conjunge ſaponi,
Quatuor hæc miſce, commixtis quatuor iſtis,
Fiſtula curatur, quater ex his, ſi repleatur.

Medicamentum, hoc in loco, pro fiſtulæ curatione deſcribitur longe optimum, quod, ut præter quotidianam experientiam, recentiorum fere omnium ſcripta teſtantur, neminem unquam fefellit. Nempe ut fiſtulis infundenda collyria, ſive penicilla, ex auripigmento, hoc eſt, arſenico, (1) ſulphure, calce, & ſapone commiſcean-

---

¶ [1] *Fiſtula, eſt vulcus calloſum, ſinuoſum, à vulnere, abſceſſu, vel a quavis alia, ſolidæ partis ſolutione factum, numquam ſanabile, niſi callus ipſe, curationem impediens, omnino deleatur, quod per medicamenta cauſtica, & erodentia fieri ſolet.*

tur. His enim omnibus; inſignis quædam ineſt erodendi, exſiccandi, diſcutiendi, abſtergendi; & emundandi facultas: quæ ad fiſtulæ curationem cumprimis neceſſaria eſt.

Auripigmentum, ſive arſenicum, facultatis eſt causticæ, ſive urentis, idque tam combuſtum, quam uſtionis expers. Diſcutit, attrahit, erodit, conſumit, & emundat. Cruſtas cum vehementi uredine, & violento morſu excitat. Reprimit, quæ excreſcunt, & capillos evellit. Quod vero ſublimatum eſt, cancrum, lupum, eſthiomenon, nolimetangere, fiſtulam, & omnes, tales peſſimos morbos, prima die occidit, & extirpat.

Sulphur, ſubſtantia tenue eſt, calefaciendi, & ipſum vim obtinet, celeriter concoquit, attrahit, detergit, & diſcutit.

Calx omnis, communiter habet fervidam vim, erodit, urit, & ignium modo cruſtas inducit. Calx vero in aqua elota, abſque morſu deſiccat.

Ea vero, quæ hoc loco proponuntur activiora videntur, quam ipſa neceſſitas poſtulet, imo potius veneni naturam emulantur, a quorum applicatione cancrena, eryſipela, convulſiones, & febres mali moris timenda ſunt. Sed prudentiores Chirurgi, tutius agendo, cauſticis longe mitioribus utuntur, veluti ſpiritu Mercurii per ſimplicem attactum, precipitato rubro, vel pro breviori cura, vivo igne, enatum callum adurunt, qui eſcheram facit, atque mox pus ſequitur, cum nova carnis productione.

ac ſi bis, terque, aut amplius abluta fuerit, plane mordacitatis expers conſtituitur, ac ſtrenue abſque mordacitate exſiccat.

Sapo, qui Græcis etiam σμῆγμα dicitur, eſt pingue illud, album, ſive nigrum, quo veſtes mulierculæ lavant, abſtergunt, & emundant. Calefacit quidem, & deſiccat; ſed reliquis paulo remiſſius, aptiſſimus eſt ad emolliendos tumores in σκίῤῥον induratos. Q. Serenus Sammonicus prima longa extulit cap. 1:

Attrito ſapone, genas purgare memento.

Porro fiſtula (quæ Græcis σῦριγξ nominatur) arctus, oblonguſque, & calloſus eſt ſinus, aliquatenus indolens, aſſidue; & periodice. ideſt, ſecundum diverſa tempora, ſive lunationes, ut vocant, fluens. [2] Hic magna parte, ex abſceſſibus parum dextre curatis, oritur; ſed, & ex aliis nonnumquam ulcerum generibus, ac ſinubus perperam curatis naſcitur. Hæc autem, nomen ac-

---

¶ (2) *Aliquando hæc fiſtula, per menſes, & annos inveterata, emiſſarii gerit vices; ex qua, plus, minuſve, pus verum, aut ichoroſum fluit, relate ad ſanguinis cacochimiam, vel humornm lenteſcentiam, & quantitatem, vel etiam ad errores in victu, aut ad reliquas ſex res non naturales. Hinc plerumque periculoſum eſt, eam conſolidare, quia hoc ſalubri emunctorio ſuppreſſo, impuritates omnes cum ſanguine circumvectæ, quibuſdam partibus adhærentes, graviora mala inferre poterunt.*

cepit ab arundinearum fiſtularum translatione: Quandoquidem in eis, cavitas quædam deprehenditur, arundinum cavitatibus ſimilis. Plura Corn. Celſus lib. 5. cap. 8. Paulus Aegineta lib. 6. cap. 77. Avicenna 4. 4. tract. 4. cap. 11. & Joannes Tagaultius lib. 3. chirurg. inſtit. cap. 18.

CAP. LXXXIV.

De doloribus capitis.

SI capitis dolor eſt ex potu; lympha bibatur;
Ex potu nimio, nam febris acuta creatur,
Si vertex capitis, vel frons, æſtu tribulentur,
Tempora, fronſque ſimul, moderate ſæpe fricentur,
Morella cocta, nec non, calidaque laventur;
Iſtud enim credunt, capitis prodeſſe dolori.

Duo hic traduntur remedia doloris capitis. PRIMUM, ſi cuipiam ex vini, vel alterius cujuslibet liquoris inebriantis potu, dolor accidat capitis, ut is in potu, aqua utatur frigida. Ea

namque, frigiditate, ac craſſitudine ſua, impedit, ne fumi, ex ejuſmodi potu ſurſum evecti, cerebrum petant, ac ledant.

SECUNDUM, ſi cuipiam, vertex capitis, ſive frons, nimio calore æſtuet, ut ei tempora, & frons, moderate primum fricentur, ac calida deinde aqua decoctionis morellæ laventur. [1]

PORRO morella, ſive Maurella, ut diſerte admodum Janus Cornarius in cap. 34. lib. 2. Macri exponit, dicitur ſolatrum Officinis appellatum, ab atrum acinorum colorem Mauros referentem: Græci στρύχνον κηπαῖον, Latini vero

¶ [1] *Dolor capitis, non unam, ſed varias cauſas recognoſcit; quocumque caſu humores, vel qualitate pravi, vel quantitate, ad illud affluunt, etiam in maxima ſtomaci repletione pag. 117. n. 12. Tom. I. His ergo poſitis, partem adfectam aqua tepida abluere, & confricare, idem eſt, ac majorem adfluxum ad eam provocare: verum oportet, ut humores ad inferiores artus dirigantur per phlebotomiam in pedibus, per Balnea calida, per frictiones acriores, & per alia ſimilia, quæ ſi adhuc non videntur proficere, tunc ſanguis mittendus eſt per hyrundines, prope aures admotas; vel per cucurbitas ſcapulis applicitas, atque per Balnea topica frigida, ipſo capiti impoſita; eo magis, ſi dolor, ab æſtuatione, hebrietate, inſolatione, pletora, ortum ducat. Si dolor fuerit lympthomaticus, expedit principem morbum curare per idoneam prophylaxin, cura mitigatoria non neglecta.*

Solanum [2] vocant hortenſe, Germanice, *Nachesſcaye*, Gal. *Morelle de jardin*. Notum eſt omnibus, utunturque ad omnia ea, quæ refrigerari, adſtringique poſtulant. Poteſt enim hæc duo, ordine ſecundo, Galeno lib. 8. cap. 144. de ſimpl. medic. facult. teſte. Folia per ſe trita, & impoſita, capitis dolores ſanant. Dioſcorides lib. 4. cap. 7. In quibuſdam exemplaribus, hi verſus contra fluxum ventris ſubijciuntur:

Qui fluxum pateris, ſi non caveas, morieris
Concubitum, nimium potum, cum frigore motum.

¶ [2] *Herba notiſſima, cauſtica fere virtute donata, cujus decoctum diureſim promovet, humores lentos diluendo, & nervoſas partes leniter mordicando.*

CAP. LXXXV.

De quatuor anni temporibus.

TEmporis æſtivi jejunia, corpora ſiccant,
Quolibet in menſe, & confert vomitus, quoque purgat
Humores nocuos, ſtomachus quos continet intus.

Ver, Autumnus, Hyems, Aeſtas dominantur in anno.
Tempore vernali, calidusque aer, madidusque
Et nullum tempus melius eſt, phlebotomiæ.
Uſus, tunc homini, Veneris, confert moderatus,
Corporis, & motus, ventriſque ſolutio, ſudor,
Balnea: purgentur tunc corpora per medicinas.
Aeſtas more calet ſicca, & noſcatur in illa,
Tunc quoque præcipue, choleram rubram dominari,
Humida, frigida fercula dentur, ſit Venus extra,
Balnea non proſunt, ſint raræ phlebotomiæ,
Utilis eſt requies, ſit cum moderamine potus.

Plurima hiſce verſibus comprehenduntur. Ac PRIMUM, quidem, quod jejunia corpus per æſtatem validiſſime exſiccent. Aeſtas enim cum calida ſit, & ſicca, neceſſario talem etiam vim, nempe calidam, ac ſiccam, in corpore exercet.

Cutem igitur efficit rariorem, poros aperit, ſudoremque elicit: Quo fit, ut humoribus large diſcuſſis, ac conſumptis, corpus vehementer exſiccetur. Superveniente autem inſuper, & jejunio, magis omnino exarefieri neceſſe eſt. Naturalis ſiquidem calor, ut cap. 82. oſtendimus, humido deſtitutus cibali, in propriam agit carnium humiditatem, (1) ipſamque exhaurit, & exſiccat. Fames enim corpora ſiccat.

SECUNDUM, quod vomitus, ſingulis menſibus, ſemel, aut bis provocatus, plurimum, tuendæ

¶ [1] *Sub fervido cane, ob intenſiſſimum calorem, humores omnes ſolvuntur, naturali cohæſione deſtituti, unde ſudor copioſiſſimus, qui non ſolum lympham excrementitiam exhaurit, ſed etiam ſanguinis ſerum, eo magis in hominibus exercitatis, qui induſium flavo ſudore tingunt. Idem calor ſolidas partes ſolvit, & exſiccat, præſertim in bilioſis, & calidis, in quibus humores, propter temperamentum, facile liqueſcunt, & putredinis indolem acquirunt, unde febres corruptoriæ, putridæ, cum alvi fluxu bilioſo, tenui, acri, mordicante, urina flammea, rubra, fætida, ſudore copioſo; & aliis ſimilibus. Qui hoc temperamentum ſortiti ſunt, male ſe habent æſtivo tempore, & facile febribus putridis bilioſis corripiuntur; Hyeme vero utplurimum a morbis inflammatoriis præſervantur, quia frigus humorum ſolutionem impedit, & nutritionem auget. Secus vero de phlegmaticis dicendum eſt.*

ſanitati adferat emolumenti. Ventriculum enim a bile, & pituita, cæteriſque pravis, ac vitioſis humoribus, quibus gravatus fuit, exonerat. [2] Atque hoc quidem, de Hippocratis conſilio conſtat. Nam in lib. de ſalubri diæta, aphor. 7. ita ſcriptum reliquit. Quicumque autem bis in menſe, vomere conſuevit, huic melius eſt, ut conſequenter in duobus diebus vomat, quam per quintum, & decimum. Verum aliqui penitus contrarium faciunt. Quæ quidem ſententia in libro etiam de inſomniis repetitur. Galenus quoque libro 5. de uſu partium capite 4. hanc Hippocratis ſententiam iis confirmat verbis: Recte igitur veteres medici, vomitus a cibis in ſingulos menſes repeti præcipiebant, alii quidem ſemel, alii vero bis. Omnes autem hi, qualitates ipſas, eo caſu, comedendorum, acres, atque abſterſorias deligere conſulunt, ut pituita omnis

---

¶ [2] *Eadem fortaſſe cauſa humores enterici, gaſtrici, & præ ceteris, Bilis facile putreſcit, qui, niſi continuo evacuentur, aut ſaltem corrigantur, febrem putridam pariunt. Ideo prudenti conſilio per emeticum educendi ſunt, ſtatim ac corruptionis ſignum apparuerit. Similiter, quia calor etiam ſolidas partes enervat, emetico, & quidem repetito, indigemus ad ſtomacum roborandum, pro faciliori digeſtione. His ergo poſitis, ſciendum eſt, eo tempore victum vegetabilem, & refrigerantem plus conferre, ſimul & paſtacea omnia, ac aceſcentia, quam animalem, ut caro, & omnia juſcula, præſertim pinguia cum oleribus, quia facile putreſcunt,*

e vea-

e ventriculo purgetur, neque pravo ſucco corpus afficiatur. De hoc, nonnihil etiam ſupra cap. 15. Cur vero arte vomitum, interdum, moliri oporteat. Avicen. 4. 1. cap. 13. hanc potiſſimum adſignat cauſam. Nempe quod, ventriculo a natura nihil ordinatum ſit, quo irritante, ſua ſponte expurgari queat: ſicuti inteſtinis flava bilis, quæ deſcendens, ipſa facile, & abſtergit, & emundat. Idem eodem in loco, quamplurima etiam, vomitus recenſet commoda, ſi quidem recte fiat, & vomens, ſuapte natura facile ferat.

AC PRIMUM quidem, quod capitis gravitatem tollat: idque maxime, ſi ex humorum, ac vaporum multitudine, e ventriculo, ac membris inferioribus ſurſum vergente, contracta ſit: ſi vero a proprio ipſius cerebri fuerit nocumento, ab eo cavendum, ut qui, gravitatem augere magis ſoleat. [3]

¶ (3) *In morbis eſſentialibus capitis, præſertim a pletora, inflammatione, vel quavis alia ſtaſi productis, emetica, utplurimum, nocent: nam ſub vomendi conatibus, qui cum maxima aeris exſpiratione fiunt, abreviatur pulmo, & vaſa aerea, & ſanguifera, ita anguſtantur, ut neque aerem, neque ſanguinem, eo tempore recipere poſſint; unde arteria pulmonalis, a dextero cordis ventriculo ſanguinem non recipit, neque vena cava, in eumdem ventriculum nimis plenum, exoneratur: Hinc omnes venæ, quæ a capite ſanguinem revebunt, turgebunt continuo, eo magis, quia majori celeritate per arterias, ſub ipſis conatibus, fertur ſanguis ad caput, quapropter diſruptionis metus*

SECUNDUM, quod viſus aciem ſubtiliorem reddat; præſertim ſi viſus, ob vaporum copiam e ventriculo ſurſum aſcendentem, obſcuratus fuerit; alias enim, offendit potius.

TERTIUM, quod nauſeoſam auferat ſatietatem; (4) humorem enim, in ventriculi ſpatio innatantem, ac nauſeam excitantem, evacuat.

QUARTUM, quod illi etiam, ad cujus ventriculum, flava bilis confluens, cibum corrumpit, egregie opituletur; eam enim per ſuperiora exturbat.

QUINTUM, quod ſtomachi ſubverſionem, atque abominationem, ex pinguium, ac dulcium alimentorum eſu, contractam ſubmoveat.

SEXTUM, quod ἀνορεξίαν, id eſt, appetentiæ amiſſionem, & corruptum ipſius ventriculi deſiderium, quo nimirum, acria ſolum, aut acida, aut pontica appetuntur, (5) curet. Vomitus

---

aderit, vel morbi augumentum; & revera vomentibus genæ rubent, oculi inflammantur, ſanguine turgent, lacrymis invite erumpentibus.

¶ [4] *Aliquando abſque manifeſto ſigno repletionis, neque erroribus in dieta prægreſſis, dira invadit nauſea, a redundantia tantum lymphæ gaſtricæ, quæ nervorum ſenſum ſopit, & nerveas papillas relaxat, in quibus famis ſenſatio reponitur. Emetico ſtatim propinato, magna aquæ copia educitur, & redit fames.*

¶ (5) *Appetitus remittitur [Vid. num. ſupracit.] vel depravatur, in utroque caſu purgantia, & emetica ſatis præſtant. In virginibus cloroticis, obſtructis, atque a menſtruis ſuppreſſis, len-*

namque, ejuſmodi affectionum cauſas omnes removet: remotis vero cauſis, effectus quoque tolli neceſſe eſt.

SEPTIMUM, quod corporis, ex humorum redundantia, laſſitudini conveniat: evacuata enim materia, vires corporis omnes allevantur, (6) & recreantur.

---

ta adoritur cacochimia, quæ, omnes humores ad digeſtionem concurrentes, enervat, & corrumpit, unde appetitus depravatus rerum inſolitarum, ceræ nempe, carbonum, terræ, aliarumque, tollendus per repetitum emeticum, humores educentem, nervoſque diſcutientem, & ſenſationem vividiorem excitantem; per deobſtruentia, calybeata; æquitationem, & per frictiones.

¶ (6) *Ex anatome didicimus, omnia vaſa lymphatica venoſa, lympham refluam, ab omnibus corporis partibus, præcipue ab artubus inferioribus, in inteſtina, meſenterium, ciſternam Pacqueti, & ductum thoracicum, convehere. Quoties vero, hæc viſcera, ſuperfluo humore infarcta ſunt, hujus lymphæ refluxus, retardant, minuunt, impediunt, cum artuum ingratiſſimo pondere, immo totius corporis. Quamprimum per catarticum, vel per emeticum ſolvitur venter, viſcera inania jam facta, refluæ lymphæ amplius non obſtabunt, quæ libero itinere, ab omnibus partibus ad ea confluens, integrum corpus, a torpore, & pigritia, ſatis moleſta, liberabit. His ergo conceſſis; nil mirum, ſi in viſcerum obſtructione, artus inferiores, tumore ædematoſo turgent.*

OCTAVUM, quod renum, ac veſicæ ulceribus ſuccurrat; (7) materiam namque eo confluentem, ad oppoſitam abducit partem.

NONUM, quod lepræ auxilietur: & maxime quidem, ſi cum vehementi vomitivo, quale veratrum cumprimis exiſtit, eliciatur. Hoc enim lepræ materiam, eradicatu difficilem, e remotis locis ſubducit. [8] Quinetiam primæ concoctionis errata corrigit, quo fit ut reliquæ concoctiones, abſolutiores fiant. Lepræ enim origo eſt, ex concoctoriæ facultatis corruptione.

DECIMUM, quod corporis colorem ex vitioſo aliquo humore depravatum emendet: (9) ipſum enim a cute alio derivat.

¶ [7] *Renes, ſuperfluo adipe nimis obſeſſi, & immobiles facti, arenulas, calculos, grumos, & mucilaginem nullo modo dimittere poſſunt, ſi forte aderunt, quia a motu, & preſſione Diaphragmatis in reſpiratione numquam exagitantur, cujus ope, omnibus contentis exitum molitur. Per emeticum ergo ſæpius repetitum, huic defectui eſt ſubveniendum, per æquitationem, vel per alia exercitia. Etiam ſedentarii, & obæſi lapidum concretioni ſunt obnoxii, a qua athletici omnino fiunt immunes, ſi vero acrimoniam, aliamque cauſam exceperis. Ulceribus autem emeticum, non videtur juvare poſſe.*

¶ [8] *Hæc dira implacabilis diſcraſia, quæ valentiora prophylactica remedia ſpernit, num emetico obtemperare poſſit, incertum.*

¶ (9) *Vid. n. 4. mox ſupra.*

UNDECIMUM, quod epilepſiam, ex ventriculi, cum cerebro ſympathia, obbortam, curet: (10) humorem enim, cujus evaporatione epilepſia accidebat, e ventriculo expellit.

DUODECIMUM, quod ictero, illi præſertim, qui ab obſtructionibus initium ducit, medeatur: vehementiore ſiquidem vomendi conamine, obſtructionum materiæ, a locis, quos obſidebant, avertuntur. Ad hæc, materia etiam pituitoſa, quæ ejuſmodi fere parit obſtructiones, [11] vomitu educitur.

DECIMUM TERTIUM, quod aſthmati ſubveniat: cauſam enim ejus, antecedentem tollit: Quin thoracem etiam, ac pulmonem calefaciendo,

---

¶ (10) *Nimirum a ſtomaci debilitate, indigeſtione, erroribus in victu, aliiſque cauſis, extra caput exiſtentibus. Vid. n. 3.*

¶ (11) *Obſtructionis cauſa, non ſemper obſtructis viſceribus debetur: utplurimum a mala humorum præparatione repetenda eſt; & quidem primo, a ſtomaci debilitate, qui alimenta integre nequit digerere, & mutare, ut in puriſſimum chylum, & inde in optimum ſanguinem commutentur. Cum enim omnes Machinæ preſſoriæ, quibuſcumque obſtructionibus cauſam materialem præbeant, per emetica ſæpius repetita ſunt roborandæ, ut eorum vis aſſimilatrix vividior evadat. Educitur quoque per emeſim eadem cauſa, vaſa, & viſcera infarciens, per varias vias; etiam per inſenſibilem perſpirationem.*

ſuperfluitates abſumit, (12) unde aſthma gignebatur.

DECIMUMQUARTUM, quod tremorem, atque paralyſin curet: harum enim paſſionum materiam aufert.

DECIMUMQUINTUM, quod magna, & nigra ulcera in extremis partibus, & impetiginem, materiam divertendo, curet. (13)

QUANQUAM vero, vomitus rite provocatus, dictorum commodorum omnium ſit auctor; cavendum tamen unice erit, ne is, qui valere, & ſeneſcere volet, ut vomat, quotidianum habeat,

---

¶ (12) *Extenditur emetici vis ad pulmones uſque, eo magis, quia hoc viſcus ſtomaco incumbit, & vix, per ſeptum tranſverſum, diſtat; unde dum ſtomacus ad vomendum concitatur, ſurſum adſcendit, in diaphragma, & ipſos pulmones illidens, eorum cavitatem arctat, humores lentos agitat, removet, & per anacatharſin expellit: Hoc remedii genus, nimis præſtat in morbis chronicis, ab humorum lenta cacochimia; in acutis vero, dum materia adhuc cruda perſtat, & fibræ nimis tenſæ, ab eo abſtinendum, vel ſaltem in dilutiſſima decoctione exhibendum, malacticis larga manu admixtis.*

¶ (13) *Morbus hic, non ab humorum ſuperfluitate, neque a lentore, verum a diſcraſia muriatica, alkalina, provenit, per medicamenta temperantia, & diluentia, ac per victum vegetabilem, corrigendus.*

Nam ejus frequentia, aſſiduuſque uſus, ſtomachum ſentinam, & lacunam facit omnium ſuperfluitatum. [14] Præterea ſurditatem etiam inducit, viſui obeſt, thoracis, pulmoniſque venas diſrumpit, nocet dentibus, & doloribus capitis, maxime, ſi non ex ventriculi vitio orti ſint. Cæterum in eliciendo vomitu, ſumma diligentia conſiderandum medico, qui ad vomendum faciles, quique difficiles futuri ſint. Difficulter enim vomentes, ad vomitiones non ſunt cogendi; ſed per inferiora potius purgandi. Difficulter enim vomentibus, ubi eos ad vomendum urſeris, venarum, quæ in thorace ſunt, ruptionis periculum imminet. Difficiles autem, & inepti ad vomendum ſunt, mediocriter carnoſi, & anguſto thorace præditi. Contra, vero, faciles, & idonei, qui tenues, graciles ſque, natura ſunt, & amplum obtinent thoracem.

Quæ ſingula Hipp. ſect. 4. aphor. 6. & 7. ita ſcribens confirmat: Graciles, & facile vomentes, ſurſum purgare convenit vitantes hyemem. Difficulter vomentes, & moderate carnoſos, deorſum, vitantes æſtatem. Tempus vomitioni aptiſſimum eſt æſtas,

¶ (14) *Verum in moderato uſu, quoties neceſſitas poſtulaverit, nullo modo nocere poſſe crediderim: imo digeſtioni ſubveniendo, & humores ſuperfluos, atque noxios de corpore educendo, ad longævitatem diſponere, & nonnullos morbos arcere. Quomodo vero, in morbis eſſentialibus Capitis, nocere poſſit emeticum n. 3. dictum eſt.*

utpote, in qua, biliosi potiſſimum humores generantur, qui facile ſurſum feruntur, [15] & per vomitum ſine negotio ejiciuntur. Quod Hippocrates etiam ſect. 4. aphoriſmo 4. ita ſcribens confirmat. Medicamentis, purgare oportet æſtate quidem ſuperiores magis: hyeme vero inferiores. Neque obſtat quod Hippocrates in libro de diæta ſalubri, aphoriſmo 5. contrarium adſtruere videatur: ſex hybernis menſibus vomere utile eſſe tradens: & Celſus lib. 1. cap. 3. vomitum utiliorem hyeme, quam æſtate eſſe ſcribat: quod uterque, in iis locis, de pituitæ vacuatione, quæ citra purgantia medicamenta fit, loquatur. Quando enim hyeme in ventriculo pituita generatur,

---

¶ (15) *In fervidiſſima æſtate omnes humores notabilem rareſactionem patiuntur, inter quos Bilis, quæ in maximo calore, acerrima fit, effrena, ac mobilior, facile in ventriculum tranſitura, ſuperata valvulæ pylori reſiſtentia, unde vomitus bilioſi, præcordiorum anxietas, cardialgia, & hujuſmodi alia, præſertim in tertiana eſquiſita, quæ omnia evaneſcunt, vel ſaltem mitiora evadunt, humoribus corruptis, & ipſa Bile, per emeticum eductis. Hæc enim ſympthomata, tempore paroxiſmi recrudeſcunt, non ſolum, quia Bilis ſtomacum pervadit, ſed quia per vaſa chylifera, & inhalantia ſanguini miſcetur, maximo cum ægrotantium cruciatu, & acerrimis ſympthomatibus, non ceſſantibus, niſi ſudore, urina copioſa, vel perſpiratione erumpente, quorum ope ſanguis a morboſa materia liberatur.*

neceſſe eſt, ut illam vomitibus expurgemus. Verum univerſum corpus, ſi purgare inſtituamus, æſtate, per ſuperiorem ventrem, hyeme, per inferiorem, ut eſt in aphoriſmis relatum, purgabimus. Quid multa? univerſum corpus, æſtate, per ſuperiora, & vomitum magis purgandum; hyeme vero, per inferiora. Pituitam vero in ventriculo tantum coacervatam hyeme, vomitu ejicire nihil prohibet; immo plurimum confert. Porro quid ex; eis, quæ per vomitum, quovis tempore ejiciuntur, prædicere liceat. Hipp. libro 2. prædiction. aphor. 44. & prænot. aphor. 4. & ſequent., & poſt eum in ſuis commentariis Galenus, abunde docuerunt. Lege plura apud Leonhartum Fuchſium lib. 2. ſect. 5. cap. 25. Inſtit. Medicar.

TERTIUM ex iis, quæ in præſcriptis notantur verſibus, eſt, quod quatuor ſint anni tempora, Ver ſcilicet, Aeſtas, Autumnus, & Hyems. Et inter hæc, Ver, licet per ſe ſit, omnis exceſſus plane in medio, quemadmodum lib. 1. de temperamentis capite 7., Galenus teſtatur, reſpectu tamen habito ad reliqua tempora, calidum dicitur, ac humidum. Hoc tempus ſanguini mittendo accommodatiſſimum eſt: ſiquidem æquale eſt, atque adeo, neque nimis calidum, neque ſupra modum frigidum: ut rectiſſime ab Hyppocrate ſect. 7. aphoriſm. 53. dictum ſit: „ Quibuſcumque ſanguinem e venis, auferre conducit, his Vere venam ſecare convenit „. Hoc item tempore ſanguis in corporibus augetur. (16) Convenit autem, ut in

---

¶ (16) *Hyemali tempore, omnes humores, &*

Vere, ad imminuendam repletionem, Venus, motus, ventris ſolutio, ſudor, & balnea ſint moderata. Hoc etiam tempus, ut ſect. 6. aphoriſ. 47. Hippocrates teſtatur, aptum eſt corporis purgationi, quæ fit per medicamenta: ait enim „ Quibuſcumque, Venæ ſectio, aut medicamentum conducit, his Vere, venam ſecare, aut medicamentum purgans exhibere convenit „.

QUARTUM, quod æſtas calefaciat, atque exſiccet, ac proinde flava bilis, quæ calida, & ſicca eſt, per ipſam in corporibus augeatur. Ad moderandam igitur δυσκρασίαν, quæ corporibus ratione temporis accidit, alimentis utendum eſt; frigidis, ac humidis: abſtinendum a Venere, & crebris balneis. (17) Nam, & hæc exſiccant. Et niſi

---

ſanguis denſiores evadunt, imminuta poroſitate, & adaucta cohæſione (licet ſpirante Borea, uberrima ſit perſpiratio, quæ ſubtiliorem partem uſurpat] & pletoram inferunt, parum, aut vix ſenſibilem, propter frigus, rarefactionem impediens. Vere autem adveniente, calor fit ſenſibilis, & humores gradatim rareſiunt, augetur poroſitas, & globulorum elaſticitas, unde vaſa diſtenduntur, & ad majorem oſcillationem concitantur, cum ſignis manifeſtæ pletoræ, quæ, ſudore erumpente, gradatim minuitur, vel per phlebotomiam, urgente neceſſitate.

¶ (17) *Balneorum uſus, æſtivo tempore, nonnullos reſpicit morbos, de quibus, hic locus non eſt; non raro, ad nimium calorem, humoribus, & Bili inimiciſſimum, temperandum inſerviunt. Si ergo*

neceſſitas cogat, rara ſit phlebotomia. Sit quies, & parvus motus: quies enim humectat, motus

---

calor corpora exſiccat, & balnea calorem moderant, ſequitur eadem Balnea exſiccationem impedire, ne forte per nimiam æſtuationem nutritio de corpore ſecedat, humoribus, plusquam par eſt, ſolutis. Si vero de Balneis calidis intelligendum ſit, multo minus ab eorum humido calore corpora poſſunt exſiccari, cum potius, imminuta vaſorum, omniumque ſolidorum reſiſtentia, materia alibilis alibi parata, quamfacile apponi poteſt, auferri difficillime. Supereſt vero in hoc caſu, non parvi momenti difficultas. Nam ab hujuſmodi balneis, tum appetitus, tum pariter digeſtio remitti ſolet, quæ ad nutritionem multum quidem faciunt, & quibus deletis, nutritio ſemper in deterius abibit. Verum quis non videt, ab eorum uſu, hoc notabile damnum ſibi illatum, & illico ab illis non abſtinuerit? Multo minus de frigidis exſiccatio verificari poteſt, quæ licet perſpirationem augeant, & aliquid de corpore demant, [inimicum, vel ſaltem inutile,] adpetentiam tamen, & digeſtionem notabiliter excitant, quas, nutritio, & corporis augumentum immediate ſequitur. Præterea experientia jam conſtat, nonnullos poſt longum balneorum uſum, pinguiores, & ſalubriores evaſiſſe, expulſa quaquaverſus morboſa materia, dum facultas aſſimilatrix in univerſum eorum ope, validior facta eſt. Inſuper ſub ipſis concuſſionibus, a balneo frigido productis, omnium ſolidorum oſcillatio, & liquorum motus intenditur,

exſiccat. Potu utendum moderato, præſertim frigido: ſuperfluam namque frigidi potus ſumptionem, ob pororum apertionem, ſubita nonnunquam corporis infrigidatio, vel paralyſis, ſive laxitas membrorum, aut repentina mors conſequitur. De anni temporibus, plura diximus ſupra cap. 19. & 56.

CAP. LXXXVI.

De numero ossium, dentium, et venarum in humano corpore.

Oſſibus ex denis bis, centeniſque novenis,
Conſtat homo, denis bis dentibus, & duodenis,
Ex tercentenis decies, ſex, quinqueque venis

Traditur hoc in loco, quot in univerſum ſint oſſa, dentes, ac venæ humani corporis. Oſſa quidem fiunt e ſemine [1], cum id, quod eſt craſſiſ-

unde quædam vaſa, antea oppleta, & impervia, aperiuntur, pro majori corporis nutritione.

¶ [1] *Potius ex animalculo, ſive anguillula in ſemine innatante, fetus integer excreſcit, ejus duriſ-*

ſimum, a calido urente induratur, ſicut lapides coquuntur a calido urente. Sunt autem oſſa, veluti truncus ſuſtinens reliquum corpus. De quo-

---

ſimæ partes, veluti oſſa, & molles, veluti caro, & membranæ omnes. Probabilem Boerhaavii de hominis generatione ſequimur ſententiam, quæ tot, tantiſque accuratioribus experimentis, ita comprobata eſt, ut inter reliquas omnes, minus oppoſitionibus, & tenebris involuta videatur. Hic enim integerrimus auctor ingenue teſtatur, ſe pluries vidiſſe fætus a primo conceptionis inſtante, uſque ad nonum menſem, a magnitndine nempe grani ſabuli poſt paucas horas a conceptu, vix anguillula videbatur, cujus cauda in funiculum abibat, placentæ adhærentem, uno, vel altero die elapſo, prodibat major, uſquedum caput in tres bullas diſtingueretur, in cerebrum nempe, & duos oculos; mox brachia, per ſimplicia parva tubercula eminebant, gradatim creſcentia; non ſecus, ac artus inferiores; tandem in tenuas membranas extenſi, propriam figuram acquirebant. Oſſa, quæ ad inſtar membranarum creſcere incipiunt, gradatim oſſificantur: nam in media eorum ſubſtantia punctum oſſificationis adparet, a quo variæ lineæ emergunt, veluti a centro ad circumferentiam, ad integram oſſis ſubſtantiam. Hæc anthropogenia, ſive naturalis Hiſtoria Fætus toto geſtationis tempore, olim in Theſauro Ruiſcii magno prætio a Ruſſiæ Imperatrice empta, a medio Italiæ erepta eſt. Cæterum vide integrum tractatum de Conceptu apud Boerhaavium Tom. 3. part. 2.

rum numero, haud parva inter ipſos artis Medicæ ſcriptores diſſenſio eſt. Hic enim ducenta ea eſſe, & novemdecim aſſeritur. Joannes Tagaultius excellentiſſimus noſtri ævi Medicus, ducenta, & quadraginta ſex, hoc diſticho complexus eſt:

Adde quater denis, bis centum, ſenaque habebis
Quam ſis multiplici conditus oſſe ſemel.

Nonnulli 304. conſtituerunt. Sed Rhazes lib. 1. cap. 2. ad Almanſ. ducenta, & quadraginta octo, ea eſſe, Galeni auctoritate probat. Cum omnia, inquit, corporis oſſa numerata fuerint, prout Galenus numeravit, ducenta, & quadraginta octo erunt. [2] Cui ſubſcribit etiam vulgatiſſimus hic verſiculus:

---

[2] *Oſſium numerus accuratior eſt ſequens: Caput octo continet oſſa, frontale nempe, duo parietalia, duo temporalia, occipitale unum, ſpheroideum, et moideum, quæ omnia per ſuturas nectuntur. Maxilla ſuperior treſdecim habet oſſa, & ſexdecim dentes, dummodo numerus ſit completus: duo lacrymalia, totidem naſalia, & maxillaria. Jugalia duo, duo ſpongioſa, ſive turbinata inferiora, & duo palatina, ultimum impar, quod Vomer vocatur. Inferior Maxilla unico conſtat oſſe, quod in Infantibus per ſuturam dividitur in mento, & ſexdecim pariter dentibus. Os baſilare, ſive ypſiloides, in qua lingua continetur, etiam ad caput attinet. Spina dorſi, vigintiquatuor conſtat vertebris; collum nempe ſeptem, dorſum duodecim, & lumbi quinque. Coſtæ ſunt vigintiquatuor, duodecim dorſi*

Oſſa ducentena, atque quater ſunt, & duodena.

SECUNDO deinde loco dicitur, homini ineſ-

---

vertebris reſpondentes, unicuique vero duæ. Firmiter ex utroque latere adhærentes. Septem ſuperiores dicuntur veræ, quæ magnam pectoris cavitatem efformant, pulmones, cor, & reliqua præcordia continentem, & cum ſterno conveniunt, os ſatis amplum, anteriorem, & mediam pectoris partem conſtituens cum ſua apophiſi enſiformi in extremitate inferiori, reliquæ quinque nothæ, ſive ſpuriæ vocantur, quæ liberæ inter abdominis muſculos continentur. Oſſa innominata dicta, conſtant oſſe Pubis, Ilii, & Iſchii, quibus accedit os ſacrum, ex parte poſtica, cui ſupponitur os coccygis, & omnia ſimul Pelvim efficiunt, ſive cavitatem illam, in qua inteſtinum rectum, veſica urinaria, & uterus in mulieribus continentur. Extremitates ſuperiores, ſive brachia, conſtant ſcapulis, claviculis, oſſe humeri, ulna, & radio, manus diviuntur in carpum, metacarpum, & digitos, atque in oſſa ſeſamoidea. Carpus octo habet oſſa; Metacarpus vero quatuor; Digiti omnes, tribus conſtant oſſibus. In articulatione primæ Falancæ cum ſecunda in pollice continetur aliquando unum os ſeſamoideum; ſive etiam in articulatione primæ Falancæ digiti auricularis, cum oſſe Metacarpi. Extremitates inferiores conſtant, oſſe femoris, Tibia, & Fibula, atque rotula, ſive patella. Pedes dividuntur in Tarſum, Metatarſum, & digitos; In Tarſo ſeptem continentur oſſa; in Metatarſo vero quinque, quæ di-

ſe 32. dentes, & hoc quidem in corpore bene conſtituto, ut quælibet maxilla, tam ſuperior, quam inferior, ſexdecim dentium ſit capax. Quaterni primores, ſive adverſi, τομεῖς, & τομικοὶ Græce nominantur, item γελασινοὶ, quod inter ridendum retegantur, Latini inciſores, ſive inciſorii, quia cibum, in os primo allatum, conſtringant, & incidant: ſingulis tantum radicibus nituntur. Horum vero lateribus adjacent in qualibet maxilla duo acuti, canum dentibus ſimiles [unde κυνόδοντες vocati] cinguntque tomicos ex omni parte, quorum munus eſt, morſu dividere eſcas, atque eas diſcriminare. Simplici radice conſtat, quemadmodum inciſorii. Sed caninorum, qui ſuperiores ſunt, longiſſimas habent radices, ut ad oculorum orbem fere pertingant, nerviſque qui labri ſuperioris motores, ab oculorum regione per ſuperius foramen emergunt admodum vi-

---

gitis correſpondent. Digiti vero medii tres, novem conſtant oſſibus, pollex duobus, exterior, ſive ultimus, non raro tribus, ſatis parvis. Arteriæ in toto corpore duæ tantum reperiuntur; aorta nempe, & pulmonalis, illa a ſiniſtro cordis ventriculo egreditur, & omnis corporis partes adit; hæc a dextero, & pulmones permeat. Venæ tres, cava nempe, quæ aortæ reſpondet, & in dexterum cordis ventriculum, refluum ſanguinem convehit; pulmonalis, quæ ſanguinem ab arteria pulmonali recipit, & in ſiniſtrum cordis ventriculum exonerat; Vena portarum in hepate pro bilis præparatione.

cini

cini ſint. Unde fit, ut altero, ex his dentibus avulſo, periculum nonnumquam immineat, ne parte aliqua offendantur oculi, quapropter vulgo dentes ocularii dicti. Magnum, dum naſcuntur, dolorem infantulis infligunt, & ſi quando defluxio a cerebro, in eam gingivæ partem inſederit, in quam implantantur [vel natu grandioribus] totius genæ, & oculi, dolorem pulſatorium, non ſine febre ſuſcitant. Intimis porro dentibus atteritur cibus: iis, maxillarium, ſive molarium nomen eſt inditum, Græci γομφίους, & μύλας, ſive μυλίτας vocant, quod cibos, jam inciſos, & confractos a prioribus dentibus, molant, & comminuant: aſperi enim ſunt, duri, & ampli, ut inciſa a tomicis, & confracta a caninis, in lævorem exactum terant. Sunt autem viginti: ſuperius quidem decem: in utroque latere caninorum ſiti, totidemque inferius. Qui ſuperiori maxillæ affixi ſunt, triplici radice, interdum etiam quadruplici nituntur: alii vero duplici, & nonnumquam triplici: præſertim, qui duo ex iis, adverſi, & anteriores magis ſunt: tertius enim perraro hujuſmodi eſſe reperitur. Poſtremi dentes, qui ſunt omnium reconditiſſimi, ac propemodum gingiva operti, Græcis σωφρονιστῆρες, quod ſcilicet eo tempore producantur, quo ſapere ſolemus, & ὀψίγονοι, ideſt, ſerotini, & Κραντῆρες, quod ætatem perficiant, & compleant, nuncupantur. Latini ſimpliciter Genuinos nominant, nonnulli dentes ſenſus, ſive ſapientiæ. Interdum ad ſeptimum, & viceſimum annum latent, unde Hipp. in lib. de carnib. aphor. 14, ſic ſcriptum re-

liquit. Quin, & in quarto ſeptenario dentes enaſcuntur, pleriſque hominibus duo, qui ſapientiæ dentes appellantur. Interdum etiam ad octogeſimum annum, teſte Plinio lib. 11. cap. 37. Plura Galenus in lib. de oſſibus, cap. 5. & lib. 11. cap. 8. de uſu part. Avicenna prima 1. doct. 5. ſumm. 1. cap. 5. Andreas Veſalius lib. 1. cap. 11. de humani corporis fabric. Carolus Stephanus lib. 1. cap. 11. de diſſectione, & Leonhartus Fuchſius parte 1. epitomes de humani corporis fabrica lib. 1. cap. 14.

Tertio demum loco traditur, humanum corpus conſtare ex trecentis, & ſexaginta quinque venis. Cujus rei certitudo, ex anatomia petenda eſt.

CAP. LXXXVII.

De quatuor humoribus humani corporis.

Quatuor humores, in humano corpore conſtant,
Sanguis cum cholera, phlegma, melancholia.
Terra melancholicis, Aqua confertur pituitæ,
Aer Sanguineis, ignea vis Choleræ.

Hic, de humoribus, qui ad humani corporis conſtitutionem neceſſario concurrunt, cumprimis

agitur. Sunt autem ii numero quatuor: ſanguis ſcilicet, pituita, ſive phlegma, flava bilis, ſive cholera, & atra bilis, ſive melancholia.

Deinde oſtenditur, quodnam eorum ſit temperamentum, & quomodo ſingulis elementis reſpondeant. Melancholia frigida, ac ſicca eſt, & terræ reſpondet. Pituita frigida, & humida exiſtit, & aquæ comparatur. Sanguis calidus eſt, atque humidus, & confertur aeri. Flava bilis calida, ac ſicca exiſtit, & igni reſpondet. Quod ſane, vulgatis hiſce verſiculis, majores noſtri innuere etiam voluerunt:

Humidus eſt ſanguis, calet, & vis aeris illi.
Alget phlegma, humetque, illi ſic copia aquoſa eſt.
Sicca calet cholera, & ſic igni ſit ſimilata.
Frigens, ſicca melancholia eſt, terræ adſimilata.

Sanguis, omnium humorum, facile præſtantiſſimus eſt: vel quod materia ſit ſpirituum, in quibus conſiſtit vita, & omnis actio, naturalis ſcilicet, vitalis, & animalis: vel quod, vitæ principiis conformis exiſtat. Eſt enim temperate calidus, ac humidus: vel certe, quod præcipuus ipſius uſus ſit, ut nutriat. Ex eo enim omnes particulæ corporis, ut multis in locis teſtatur Galenus, nutriuntur. (1) Et ut verbo dicam. San-

¶ (1) *Hic ſub nutritionis nomine, non intelligitur generice corporis augumentum, quod ad pinguedinem, & carnis copiam reducitur; ſed ad vege-*

guis naturæ theſaurus, & vitæ fomes eſt: ut quo affatim effuſo, mors ſubinde ſequatur. Hinc ſane eſt quod Moſes 17. Levitici ita ſcriptum reliquerit. Anima omnis carnis, in ſanguine eſt. Significat autem Anima Hebræis, vitam. Hanc cum dicit in ſanguine eſſe, vult ſanguinem vehiculum eſſe vitæ.

---

tationem, conſervationem, & augumentum, a primo conceptionis inſtante, totius corporis, relate ad ſingulas partes, tam fluidas, quam ſolidas, quibus conſtat. Hæc enim nutritio perfici nequit a ſolo ſanguine, neque a ſolo chylo; niſi quædam machinulæ in corpore darentur, quarum virtus, illa eſt, quæ ſanguinem, & inde productos humores in propriam naturam, & ſubſtantiam aptant. Quot ſunt vaſorum series, tot mutationes patitur ſanguis, atque unumquodque vas, in contentum humorem ita ſe exercet, ut analogum ſibi reddat, nutritioni idoneum; neque humor hic nutrit, niſi prius quieverit, firmis partibus, in partes firmas pariter concreſcens, ac firmiter adhærens. Vid. Tom. 3. prælect. academ. Boerhaav. pag. 335. §. 443. Ex hoc autem fluidiſſimo humore orta ſolida prima, tenerrima &c. Quare hinc patet, ſolida in primo ſuo ortu, a liquidis, unde orta ſunt, tantum differre, quiete, cohæſione, figura. *In Brachii, vel in quacumque ſimili paralyſi, hoc quotidie experimur: Ubi enim periſtaltica vaſorum vis, ob nervorum reſolutionem, jam ſilet, atrophiam, & frigus deprehendimus; nihilominus ſanguis ad reſolutum articulum fluit, & refluit, licet minori celeritate, quam par eſt.*

Phlegma, ſecundum probitatis locum ſibi vendicat. Hic humor, ut teſtis eſt comment. 39. libri de natura hum. Galenus, in prima ciborum mutatione generatur: [2] Colore autem albus exiſtit, & concectione, in ſanguinem mutatur. Quapropter, quum ſit, veluti ex dimidio coctum nutrimentum, nullum, quod pituitam expurg.; proprium inſtrumentum natura machinata eſt. Quippe in ventriculo generata pituita, quia fertur ſimul cum iis, quæ ex cibi, potuſque humoribus in jecur diſtribuuntur, concocta, jam ſanguis evadit. Quod autem pituita in venas fertur, animali etiam ex uſu eſt. Deſiderat itaque talis humor, non utique evacuari, ſed in corpore manens alterari. Quod vero in inteſtinis relinquitur, a bile, ex jocinore in ea defluente abſterſum, commodiſſime, ac celerrime per ſedem ejicitur, ut lib. 5. de uſu part. corpor. human. cap. 4. fuſius

---

¶ [2] *Dummodo de aqua intelligatur, hæc ſemper eadem exiſtit, vel tantummodo aliorum humorum miſcela mutatur, neque umquam in ſanguinem mutari ſolet; niſi potius dicendum, ſanguinem poſt diuturnam circulationem per vaſa ſenſim decreſcentia, in lympham ſatis tenuem converti, quæ igni admota, tota fere evaneſcit, & quod ſupereſt in cutem ſciſſilem concreſcit. Quadere ſatis manifeſte adparet, in ea contineri maximam aquæ partem, & parum glutinis, quod a ſanguine per circulationem, & partium diviſionem reſultat, animalis ſubſtantiæ particeps.*

Galenus oſtendit. Porro excrementum, quod a cerebro deſtillat, veluti Galenus lib. 2. de natural. facult. cap. ultimo atteſtatur, proprie, non recte appellatur pituita, ſed Græce βλέννα, καὶ κόρυζα, Latine Muccus.

Flava, pallidave bilis, ſic a calore, qui eſt flavuus, pallidusve, appellationem accepit, ſimpliciterque Græcis, Galeno in libello de tumoribus præter naturam, capite 10. teſte, χολή dicitur. Reliquas vero omnes biles, cum coloris adjectione nominant. Generatur autem bilis in hepate, ibidemque cum ſanguine miſcetur. [3] Neceſſa-

---

¶ (3) *Ad omne Hepatis punctum, quod Malpighius, Folliculum vocavit; Ruiſchius vero Acinum, vaſorum faſciculos continentem, tria diverſa vaſa conveniunt, exiliſſimæ venæ portarum extremitates, Vaſa bilaria, & ramuli venæ cavæ, omnes ſimul comunicantes, per Folliculos, ſive Acinos. Primæ, a ſinu Portarum, ſanguinem, varios humores; atque ex his, bilem jam paratam adferunt. Secunda, Bilem recipiunt, & ad ciſtim tranſmittunt. Ultimi tandem, redundantem ſanguinem novæ circulationi reſtituunt, cum aliis humoribus, ad Bilem efformandam ineptum. Vid. Tom. 3. prælect. academ. Boerhaav. pag. 74. §. 343.* In omni puncto ſenſibili hepatis, trivium eſt; in quo venæ cavæ Ramulus, cum ramulo venæ portarum convenit. In eo trivio, ubique præſto eſt etiam ductus hepaticus &c. *His enim poſitis, nequit in ſtatu ſano, Bilis cum ſanguine miſceri, quoties ſan-*

rium autem fuit, ut ab ea ſanguis purgaretur, ne ſcilicet totius corporis color, ab ea, haud ſecus, quam in ictero, inficeretur. Hinc natura, huic propriam ſedem machinata eſt, veſicam nimirum quæ jecori ſubeſt, & bilem, ex eo ad ſe, per convenientem meatum trahit. Uſus autem bilis flavæ eſt, ut inteſtina a pituitoſis excrementis repurget, & abſtergat, atque eorundem excretionem adjuvet. Ad inteſtina autem defertur bilis per meatum, duodeno inſertum.

Atra bilis, naturalis veluti fæx, ac ſedimentum ſanguinis eſt, ideo colore, quod nomen ſatis indicat, nigra. Hæc autem, ſi volumus exquiſite loqui, Galeno ſect. 6. aphor. comment. 53. atteſtante, nondum atra bilis nominari debet, ſed melancholicus humor. Neceſſe vero eſt, ab hoc

---

guis a Bilis præparatione ſuperſtes, a ramulis venæ cavæ abſorbetur, integre a Bile defæcatus. Si vero, quacumque de cauſa, hepatici ductus inflammentur, aut quomodocumque obſtruantur, huic reſorptioni penitus inepti, Bilis, una cum reliquo ſanguine, venam cavam ingrediens, totam ſanguinis maſſam conſpurcabit, ut in Ictero videre eſt. Verum, omnino negari nequit, aliquam Bilis partem ſanguinem adire, per vaſa lactea tantum, ſed nimis dilutam, ab ipſo chylo, & a nimia aquæ quantitate, ſuo ſapore, & colore penitus deſtitutam; alioquin Icterum faceret; Reliquam vero fæcibus excernendis, atque inteſtinis ad excretionem proritandis inſervire.

humore expurgari jecur, ideoque inſtrumentum, quo ille expurgetur, natura, lienem (4) condidit. Qui ſi minus, quam oporteat, melancholicum humorem ad ſe trahit; ut inde ſanguis impurior, ita totum corpus redditur magis decolor. Ut hinc etiam perſpicuum omnibus ſit, eum humorem in jecore generari, a quo tandem in lienem tranſfertur. Uſus autem atræ bilis, naturalis eſt, Galeno lib. 5. de uſu part. human. corpor. cap. 4. atteſtante, ut ventriculi actiones juvet. Ipſa enim, cum acerba, & acida ſit, ventriculum intendit, & in ſeipſum contrahit, & exquiſite comprehendere cibos cogit, ac retinere, quouſque plene concoquantur.

¶ [4] *Lien, nil a Jecore recipit, ipſe autem humorem tenuem, adinſtar loturæ carnis, ab arterioſo ſanguine ſecretum, parat, atque venarum ope in ſinum venæ portarum tranſmittit, qui reliquis humoribus commixtus, adipi nempe Homenti, & alkali inteſtinorum, per peculiares horum viſcerum ductus, illuc delatis, ad dilutiorem Bilem conficiendam, concurrit. Hinc Liene obſtructo, deficit Hepati opportunus veiculus, pro aliorum humorum dilutione, unde in eo obſtructiones, & concretiones lapideæ præſto erunt, vel ſaltem Bili requiſitæ dotes, pro corporis neceſſitate, deficient. Verſa vice, ſi humor Lienis nimis excedat, ut reliquos humores, plus juſto diluat, & enervet, Bilis inertiſſima, ſuis muneribus impar, adoritur, variarum obſtructionum, hydropiſiæ, aliorumque morborum cauſa.*

Verum enim vero, cum exacta humorum cognitio, utiliſſima cumprimis ſit, & oppido quam neceſſaria, de ipſis latius nonnihil dicemos.

Sanguis igitur, ut comprehenſum eſt, humor eſt calidus, & humidus, ex temperatiore parte ipſius chyli progenitus. Et hic quidem duplex eſt, juſta neotericorum diviſionem, naturalis, & non naturalis.

Naturalis, eſt humor calidus, & humidus, ſubſtantia quidem, mediocris; colore vero, multum rubens; odore autem, & ſapore dulcis, mitis, ac benignus.

Verum, non naturalis ille dicitur, qui ab iſto nuper deſcripto, deflexit, degeneravitque; intra tamen ſuæ latitudinis terminos: quos ſi tranſgreditur, non jam ſanguis; ſed alius humor venit appellandus. [5] Hoc autem (ſanguinem, inquam

¶ [5] *Ad ſanguificationem, variæ machinæ preſſoriæ concurrunt, Cor nempe, pulmones, & omnes ejus crebriores motus, omnes arteriae, muſculorum motus, loquela. Sed praeceteris neceſſe eſt, ut chylus, qui in ſanguinem permutari debet, a cibis, in ſtomaco bene digeſtis, optimus eliciatur; quovis nempe ſapore alimentorum deſtitutus, quod nullimode aſſequi poteſt, niſi Bilis, virtute ſua, indigenos ciborum characteres deleret; partes oleoſas, & aqueas exacte miſceret; concretas diluerit, & attenuaret; quae ſi nimis lenta, & inſipida fuerit, propter nimiam quantitatem lymphae lienalis, ſequeretur lenta cacochimia, & totus ſanguis in ſe-*

degenerare a propria ſua natura) contingit dupliciter. Uno modo (ut ajunt) in ſe, hoc eſt, ratione ſui, permutata propria ejus ſubſtantia; citra alterius admiſtionem. Altero modo, per alium, ſeu ratione alterius. Et per ſe quidem, adhuc bifariam, nempe, vel quia ejus ſubſtantia craſſior eſt, aut tenujor (6) quam debeat: vel

---

rum abiret; Si haec lympha defecerit, denſabitur Bilis in ipſo Haepate, & obſtructiones, calculos, & ſcyrrhos efficiet, cum chilificationis, & ſanguificationis detrimento. Nam obſtructo hepate, neque Bilis ciſtica, neque hepatica, per ductum colidocum in duodenum veniet, ut ſuis officiis fungi poſſit.

¶ [6) *Celeberrimus Boerhaavius hanc rem propius attigiſſe videtur, agens de variis humorum morbis, mechanico quidem modo. Vid. prelect. academ. Tom. 6. pag.* 40. §. 721. Molis auctæ in partibus humorum idea, exhibet horum immeabilitatem &c. . . . . *Et infra in Comment.* . . . Nam extremitates fiſtularum capillarium, debent admittere corpuſcula adeo parva, ut per orificia vaſorum tranſire poſſint &c. *Et in comment. ad* §. 722. *pag.* 41. Adeo, ſi primi generis humores, globuli nempe rubri, adeo tenues facti fuerint, ut in ſerum mutati, per ſecundum genus tranſire poſſint, tunc, cum ſecundum genus, adeo multum dilatabilius ſit genere primo; in ea ratione nempe, quo tenuioribus humoribus deſtinatum eſt, ſequitur, ut ex contracto primo genere

quia aduritur, & quod ex eo tenuius eſt, in flavam bilem mutatur: quod vero craſſius, in atram, idque abſque ſeparatione. Alterius vero ratione, ſanguis fit non naturalis, quando alius humor illi permiſcetur. Quod multifariam, contingere poteſt, prout ſcilicet, varia ſpecies bilis, pituitæ, aut melancholiæ, cum ipſo ſangnine miſceri poſſunt: qui ob id, multifariam a naturali etiam differt. Ac primo quidem, ſubſtantia: craſſior enim eſt, & turbidior, cum ipſi miſcetur melancholia; tenuior, cum flava bilis, aut aquoſitas. [7] Secundo, colore: pituitæ namque ratione, declinat ad albedinem: flavæ bilis, ad pallorem;

---

omnis liquor, ex arteriis primi generis, in ſecundum tranſeat. Et parciſſima liquidi copia in venas primas redeat &c. *Hic enim eſt genuinus character Tabis anglicae; quando nempe Aegri a continuo ſudore colliquati, miſerrime pereunt.*

¶ (7) *Obſtructo Hepate. Vid. n. 3., vel potius Pori bilarii, una cum ſanguine ſuperſtite, Bilis ipſa ab extremitatibus venae cavae abſorbetur, ex quibus, in truncum majorem, tandem ad cor, ex quo per arterias ad omnes corporis partes, & ad cutem, primo loco diſtribuitur, & Icterum facit, qui a colore Bilis, varia recipit nomina, flavus nempe, viridis, & niger. Quando vero color cutis ad albedinem vergit, tunc Bilis omnino deeſt, & hydrops ſequitur, vel ſaltem cloroſis, aut leucophlegmatia, qui, hydropi utplurimnm præcedunt. Vid. pag. 95. n. 5. Tom. I.*

melancholiæ vero ad nigredinem. Tertio, odore: fœtet enim, cui humores admixti ſunt putridi: omnino vero expers odoris eſt, cui crudi. Quarto, ſapore: flavæ bilis namque admixtione, ad amaritudinem: melancholiæ ad aciditatem, (8) pituitæ vero ad inſipiditatem vergit. Avicenna I. I. doct. 4. cap. I. & Joannes Tagaultius lib. I. inſtitut. chirurg. cap. 6.

Phlegma, quod Latini pituitam vocant, in generatione humorum ſanguinem conſequitur, majorque ejus portio [9] eſt in corpore ſecundum ſanguinem, quam aliorum humorum. Eſt autem pituita duplex, naturalis, & non naturalis. Et

---

¶ [8] *Bilis numquam aceſcit, praeſertim ciſtica, eo magis, quando ad majorem conſiſtentiam pervenit, fluidiori parte orbata, & ad colorem nigerrimum, uti melancholia antiquorum, unde acerrima, vel potius amariſſima dici meretur, & vix degenerans, putrida, alkalina. Vid. praelect. academ. Boerhaav. Tom. I. pag. 222. §. 99.* Bilis autem ciſtica reſiſtit aceſcentibus; aliaque, admiſtione ſui, ſimili facultate imbuit; ſaponacea eſt, abſtergit; olea, aquæ miſcibilia reddit, reſinas, gummi, tenacia quæque reſolvit &c. *Atque infra in Comment. Dictione (Aceſcentibus)* Nihil in corpore humano citius, & pejus putreſcit, quam Bilis, neque umquam obſervata eſt acida facta &c.

¶ [9] *Ratio lymphae ad ſanguinem, ſecundum accuratiores Phyſiologicos eſt, ut* I. *ad* 3. *praeterpropter, in hominibus mediae temperaturae,*

naturalis quidem, eſt humor frigidus, & humidus, ſubſtantia crudus, colore vergens ad quandam albedinem: ſapore vero, & (ſi fas ſit dicere) odore, ad dulcedinem. Hæc certe concoctione in ſanguinem mutatur: (10) eſt enim poteſtate jam ſanguis, ſed nondum exquiſite concoctus. Eſt quoque modus quidam pituitæ dulcis, quæ non exiſtit valde frigida: imo ſi cum corpore conferatur, paucæ admodum frigiditatis videbitur eſſe particeps: ſin vero cum ſanguine, ac flava bile, non modo frigida, ſed naturaliter etiam alba erit. Dicitur autem dulcis, extenſo nimirum hoc nomine ad omnes ſapores, qui de-

---

¶ (10) *Chylus ab alimentis elicitus, in ſua naturali craſi, ſanguini commixtus, & cum ſanguine circumductus, ſuam naturam deponit, & in ſerum glutinoſum abit; ulterius circulando ſub machinis preſſoriis, cordis, pulmonum, arteriarum, in globulos ſanguineos compingitur, qui per ordinem vaſorum decreſcentium, iterum in ſerum commutatur, licet a priſtina natura omnino alienum, per vaſa tandem minora, in tenuiſſimam lympham abit, variis muneribus deſtinatam, variis nempe nutritionibus, variiſque excretionibus: utroque munere functa, nequit iterum in ſanguinem, aut in aliam ſubſtantiam reverti. Hujus lymphae ſapor blandus eſt, & ſubdulcis in hominibus perfecta ſanitate fruentibus, quod de reliquis humoribus, & de ſanguine ipſo verificatur, ſi Bilem, humorem gaſtricum, & urinam exceperis.*

lectationem guſtui pariunt: Alias enim naturalis pituita *αποὶος καὶ υδατωδης*, ideſt, qualitatis expers, inſipida. & aquoſa, hoc eſt, aquæ ſapori valde aſſimilis. Huic, Natura, ut dictum eſt proprium inſtrumentum, veluti flavæ bili, & melancholiæ, machinata non eſt; ſed ſimul cum ſanguine fertur, ut in ipſum, opportuno tempore facile commutari queat: ſimilitudinem enim, ipſi finitimam jam, atque propinquam habet. Hujus quidem pituitæ, duplex eſt neceſſitas, & una utilitas. Ac prior quidem neceſſitas eſt, ut in hoc, juxta membra ſit, quo facultates eorum, caliditate ſua naturali, in ipſa concoquenda, ac diſtribuenda operentur, ex eaque, tempore indigentiæ nutriantur, cum proprio videlicet alimento, quod eſt ſanguis, mitis, ac benignus, ob retentionem aliquam maſſæ ſanguineæ, deſtituta fuerint: eam enim a ventriculo nonnumquam, atque hepate, ex accidenti quopiam, retineri contingit. Altera neceſſitas eſt, ut ſanguini miſceatur, ipſumque adeo membris phlegmaticæ conſtitutionis, ſive temperaturæ, quale cerebrum cum primis exiſtit, atque ſpina medulla, a Galeno *νωτιαῖος, μύελος*, ab Arabibus vero Nucha, appellata, nutriendis accommodet. Horum namque ſanguini, pituitam actu admiſceri oportet, juxta menſuram, quam materiæ neceſſitas exigit. (11) Utilitas porro ejus

---

¶ (11) *Globuli ſanguinei, in firmam maſſam concreſcerent; niſi a neceſſaria lymphae quantitate, ſive Pituitae Antiquorum, diſſociarentur; neque*

eſt, ut articulos, ac membra, quæ in continua ſunt, atque jugi motione, humectet: ut ſcilicet melius inverti poſſint: quia, ubi non ſunt partes humectatæ, ſed ſiccæ, difficiles ſunt ad motum, & ne per calorem, qui ex motu, & colliſione proficiſcitur, penitus exſiccentur. (12) Non naturalis pituita, eſt ea, quæ a modo deſcripta degenerat, intra tamen ſuæ latitudinis terminos, quos ſi forſan pertranſeat, non jam amplius phlegma, pituitave, ſed alius humor dici debet. Contingit autem biſariam, pituitam ipſam, a propria ſua natura degenerare. Uno quidem modo, in ſe, quando ſcilicet in propria ſuiipſius ſubſtantia, citra alterius admiſtionem permutatur. (13) Quod ſane

---

in minores globulos diſſilirent, vix a vaſorum vi preſſi; niſi in ipſa lympha continuo natarent; Et revera ſanguis, qui in ordines inferiores vaſorum confluit, globulis minoribus conſtat, in majori lymphae quantitate innatantibus. In Hydrope, tota ſanguinis maſſa, nigerrima eſt, & nimis craſſa, atque tardiſſima circulatio, quia omnis lympha in telam celluloſam fluit, a denſo ſanguine repulſa, ipſo ſanguini numquam miſcibilis.

¶ (12) *Vel quia deficit neceſſaria lymphae quantitas, vel quia ejus partes in organica figura mutatae ſunt, & ad articulos fluere nequeunt, pro motus facilitate, & pro eorum ſinoviae renovatione, dolores invadunt acerrimi, uti in Artritide, & Reumatiſmo.*

¶ [13] *Vid. praelect. academ. Boerhaav. tom.*

multifariam contingit. Alia enim, juxta ſenſus judicium, in ſubſtantia, hoc eſt craſſitie, ac tenuitate partium ſuarum diverſa apparet: eaque a ſimilitudine mucaginis, quæ e ſeminibus quibuſdam extrahitur, mucilaginoſa dicitur. Alia, in ſubſtantia, ſecundum ſenſus judicium, æqualis apparet; cum revera tamen, in partibus ſuis ſit diverſa: eaque pituita eſt cruda, quæ in ventriculo potiſſimum, atque inteſtinis colligitur. Ac illam quidem, quæ in ventriculo reſidet, Hippocrates in lib. de ſalubri diæta, ſingulis menſibus, bis vomitu expellere præcipit. Ad alterius vero excretionem, quæ in inteſtinis congeritur, conſtitutum eſt, ut flava bilis, e veſicula fellis, quæ πολυδοχο'ς Græcis dicitur, ad jejunum, reliquaque inferiora inteſtina deferatur, eaque a pituitoſis excrementis repurget, & abſtergat, ipſorumque expulſionem juvet. Hæc eadem interim, in venis quoque, ſenum præſertim, ob concoctoriæ facultatis imbecillitatem, coacervatur, ibidemque diutius hærendo, augetur, ac craſſeſcit: Cujus moleſtiam, cum ulterius natura non ferat, ipſamque per ordinarios meatus expellere nequeat, facit, e poſſibilibus, quod melius eſt, repellitque a

---

6. *de humorum morbis*, *pag.* 39. §. 720. Si conſideratur morboſa indoles in unaquaque particula humoris, ea hærebit in mole aucta, vel imminuta &c. *Idem pag.* 40. §. 721. Molis auctæ in partibus humorum idea, exhibet horum immeabilitatem &c.

corde

corde, ac reliquis internis membris nobilioribus, ad exteriora, eaque ignobilia, & præcipue ad tibias, (14) quo, naturaliter alioquin, ob gravitatem ſuam tendit. Eaque cauſa, tibiæ ſenum inflantur nonnumquam, adeoque in tumorem attolluntur, ut preſſæ digitis, foſſulam repræſentent: & maxime quidem appropinquante nocte. Idem evenire nonnumquam, pinguibus etiam, atque obeſis ſolet, quique humidioribus oblectantur alimentis. Alia pituita, tenuis valde eſt, & aquoſa, aquæ nimirum, paululum admodum denſatæ ſimi-

---

¶ [14] *Exiliſſima vaſa, venoſa præcipue, in multa ætate impervia fieri ſolent. Vid. Prælect. Academ. Boerhaav. tom. 3. pag.* 361. §. 468. Quin etiam vaſa, olim, noſtra, deinde mera ligamenta, dura fieri obſervantur &c. *& pag.* 364. § 474. In ſenibus, ſolida, vi, & copia, fluida ſuperant; *& imminuitur eo tempore cordis momentum, omniumque vaſorum, unde tarda circulatio, atque ab extremitatibus per venas dificillime redunt humores ad cor; hinc pedum tumor, aliquando œdematoſus, qui in hominibus otioſis obſervari ſolet, quia deficiente muſculorum motu, in circumpoſitas venas agentium, & motum facilitantium, venæ ipſæ otiantur, ſanguinis regreſſui ineptæ: Idem accidit proceris hominibus, etiam abſque morbi cauſa, quia humores contra propriam gravitatem ægre elevari poſſunt, a ſolo exceſſu celeritatis, quem a cordis momento recipiunt. Viſceribus obſtructis, pedes, & Tibiæ, plus, minusve tument:*

litudinem quamdam præſeferens. Qualis quidem in ſalivis, haud raro, ac ſputis illorum viſitur, qui cibos minus belle conficiunt, quique largius bibunt. Conſuevit etiam in coryzæ principio, a cerebro in nares deſtillare. Hæc eadem, per decoctionem indurata, pituita evadit, craſſa, ac mucilaginoſa. Pituita alia, craſſa admodum eſt, & alba: cujus quidem quod tenue erat ob diurniorem in juncturis moram, evanuit: craſſum vero, inſpiſſatum, ac conglutinatum manſit, ceu lapis quiſpiam. Hinc nodoſa generatur podagra, morbus, ut Ovidius teſtatur, fere incurabilis. Sic enim lib. 1. de Ponto elegia 4. de illa cecinit:

Tollere nodoſam. neſcit medicina podagram.

Alia vero pituita, denſa, & craſſa eſt, colore & lentore, ponderequ e, fuſo, ac liquefacto vitro ſimilis: quæ ob id paſſim etiam apud rei medicæ ſcriptores, vitrea appellatur. De qua copioſe admodum Galenus lib. 2. cap. 7. de ſanit tuenda, & lib. 1. cap. 8. de Sympt. cauſis, & lib. 2. cap. 6. de different. febr. & lib. 2. cap. 5. de locis affect. & lib. 12. cap. 8. methodi medend. Altero modo, pituita efficitur non naturalis, per admiſtionem. Quando ſcilicet, alius quiſpiam humor illi extrinſecus accedit, (15) verbi

¶ (15) *Quando nempe, a ſudore, vel perſpirabili retropulſo, propter frigus externum, aliamque cauſam, febris reumatica, dolores, gravedo, aliaque adoriuntur, nam humoris excrementitii, vel univerſam humoris maſſam inficiunt, & corrumpunt,*

gratia, vel ſanguis, vel bilis flava, aut atra. Si ſanguis pituitæ permiſceatur, hæc dulcis efficitur, fiuntque ex ea, ſicuti in libro de multitudine cap. 17. Galenus teſtatur, ſomnolenti. Si crudi humores, inſipida, & aquoſa: quæ, propter infirmam concoctionem, in corporibus redundans, cibi faſtidium parit, perindeque, ac dulcis pituita aperte ſomniculoſos facit. Si flava bilis, ſalſa: hæc mordacior certe, ſicciorque, ac levior cæteris pituitæ generibus invenitur: nam flava quoque bilis, mordax, ſicca, & levis eſt. Quæ quidem, ex ſapore ſputi, facile judicari poteſt, & in corporibus intemperantium, qui fortia vina bibunt, & ſalſis veſcuntur cibis, naſcitur copioſius: ac inde pernicioſi oriuntur catharri: Longiori tempore in ventriculo reſidens, intolerabilem nonnumquam excitat ſitim. Diutius vero, huc, illuc, per inteſtina diſcurrens, ipſa exulcerat, dyſenteriamque generat, & tenaſmon. Si melancholia pituitæ permiſceatur, ea acida efficitur, ſæpiuſque in imbecillo ventriculo, quam in aliis corporis partibus reperitur: melancholia enim naturaliter defertur ad os ventriculi, ut coctionem ejus adjuvet, famemque, ac naturalem appetentiam invitet. Ea igitur ſubſidendo nonnumquam, pituitæ miſcetur, ipſamque reddit acidam: Quæ, ex acido

---

vel ad quaſdam partes adpulſi, veluti per metaſtaſin, talia excitant ſympthomata: Obſtructo hepate, bilis ſanguini miſcetur, & Icterum infert. Vid. mox ſupra n. 3.

certe ructu, judicari facile poteſt: fiuntque ex ea in corporibus redundante, famelici. Quinetiam pituita per ſe, nonnumquam in ventriculo, ex chylo, acida efficitur, citra alterius humoris admiſtionem: nempe a debili calore, per modum ebullitionis. Ea pituitoſis accidit frequentius, non ſecus, ac dulcibus fructuum quorumdam ſuccis ſolet. Primum enim illi fervent, atque ebulliunt, deinde aceſcunt. Poſtremo vero, pituita quadam melancholiæ ponticæ admiſtione, pontica etiam efficitur, minus ſæpe tamen, ob ejus melancholiæ raritatem, invenitur; Talis autem melancholia oritur quandoque ex vehementi infrigidatione, qua nimirum, humiditas ejus [cum nullus accedat calor, neque debilis, quo, ebulliens, in acorem vertatur: neque fortis, qui coquendo in ſanguinem mutet] congelaſcit, & ad terream nonnihil eſſentiam inalteratur.

Bilis, quæ κολὴ Græcis dicitur, vulgo autem Cholera, eſt humor calidus, & ſiccus, ex tenuiori, & calidiori parte chyli, vel ex ſanguine tenui, & fervente procreatus. (16) Hæc quoque duplex eſt, naturalis ſcilicet, & non naturalis. Naturalis, eſt humor calidus, & ſiccus poteſtate;

¶ (16) *Bilis non venit a ſanguine, multo minus a Chylo, verum a variis humoribus ſimul commixtis, qui in ſinum venæ portarum confluunt, & per quinque majores venas, hepar adeunt, pro bilis præparatione. Vid. pag. 209. num. 4., & pag. 247. n. 9. tom. prim., & n. 3. mox ſupra.*

ſubſtantia quidem tenuis, colore vero flavus; aut ruber, declinans ad quamdam citrinitatem, ſeu flavitiem: ſapore vero exacte amarus, non autem acutus, ſive acris, ut quidam male affirmarunt. Hæc quidem in hepate generata, in duas ſtatim diſtribuitur partes. Una cum ſanguine ad venas defertur: altera ad κύστιν, ideſt, veſiculam fellis tranſmittitur. Quæ quidem cum ſanguine defertur, neceſſitatis, & juvamenti cauſa, cum eo tranſit. Neceſſitatis quidem, ut ſanguini permiſceatur pro nutritione membri, in cujus temperatura, convenientem flavæ bilis partem eſſe oportet, juxta menſuram, quam materiæ neceſſitas requirit. Galenus lib. 5. de uſu part. human. corp. cap. 6. de pulmone. Juvamenti vero, ut ſanguinem, quo commodius per anguſtos venarum meatus ad nutriendum penetret, ſubtiliorem reddat. Quæ vero de ea, colata, ad cyſtin fellis tranſit, ob neceſſitatem itidem, ac utilitatem eo tranſmittitur. Neceſſitas autem, vel eſt ratione totius corporis; nempe ut ipſum, a pituitoſis, ac biliofis excrementis repurget, & abſtergat: vel unius cujuſdam membri, ut nimirum vaſa fellis nutriat. Utilitatis vero duo ſunt juvamenta; unum, ut inteſtina ab inhærentibus fæcibus, & viſcoſo phlegmate abluat, & expurget: alterum, ut inteſtina, & ani muſculos pungat, atque irritet ad excernendum, quod ipſis noxium ineſt. Propterea, quando porus, qui a veſica fellis, ad inteſtina protenditur, obſtructus eſt, male habent inteſtina in expulſione excrementorum, & colica ſæpe accidit paſſio.

Non naturalis vero bilis dicitur, quæ a prædicto humore, vere bilioſo degeneravit; intra terminos tamen ſuæ latitudinis continetur, quos ſi egrediatur, non jam bilis, ſed alius humor reputabitur. Hoc autem (bilem inquam, egredi limites ſuæ latitudinis) contingit bifariam: uno modo (ut ſic dicatur) per ſe, & in ſe. Altero modo, per admiſtionem. Per admiſtionem quidem, bilis efficitur non naturalis, ſeu præter naturam, cum alius humor illi extrinſecus accedit. Et hoc quidem fit multifariam. Alia enim eſt, cui pituita admiſcetur: quæ, quod frequentius generari ſoleat, nota, & famoſa, ſive majoris famæ vulgo appellatur: hinc ſæpe tertiana notha oritur. Alia vero eſt, cui melancholia admiſcetur, & dicitur minoris famæ. Bilis autem, ſive cholera majoris famæ, duplex eſt, citrina, & vitellina. (17) Quando enim bilis naturalis, cum

---

¶ [17] *In quovis homine, & cujuſcumque temperiei, plus minusve, in ſtatu morboſo, Bilis a ſua naturali craſi degenerare poteſt, & in putridum abire: quo plus enim ad colorem croceum vergit, eo putredinis gradus intenſior eſt, ut in febribus bilioſis, & tertianis exquiſitis obſervari poteſt, quæ ſi nigerrima evaſerit, cum extremorum frigiditate, & liveſcentia, imminentis mortis indicium præbet: Jam in hepate Necroſis ſecuta eſt. Bilis vero, quæ viridem colorem præſefert, minorem corruptionem indicat; quam nonnul-*

pituita tenui, & aquea miſcetur, appellatur bilis citrina: quando vero, cum craſſa pituita miſcetur, vitellina bilis appellari ſolet, quod ovorum vitellis, tum colore, tum craſſitudine ſit ſimilis. Et hæc quidem vitellina, rurſum duplex eſt; ſicuti vitellorum ovorum duplex eſt color; Quidam enim magis aliis albicant, alii rufiores videntur. Bilis autem, quæ rufioribus eſt ſimilis, per aſſationem fit. Minoris quoque famæ bilis, duplex. Aut enim cholera naturalis miſcetur atrabili, ex bilis naturalis aſſatione factæ, & hæc eſt pejor: aut miſcetur bilis naturalis, cum humore melancholico naturali; qui in hepate cum aliis humoribus generatur, & hæc eſt melior: color ejus ruber eſt, ſed non clarus, neque floridus; imo ſanguini, qui in venis eſt, ſimilior. Bilis vero non naturalis, per ſe, & in ſe, id eſt, ſecundum propriam ſuam ſubſtantiam, alia quidem in hepate ſæpius generatur per aduſtionem ejus, quod tenuius ineſt in ſanguine; craſſum enim in melancholiam vertitur. Alia vero in ventriculo, ex pravis alimentis non concoctis, ſed corruptis: vel ex aliis humoribus in venis generatur. Et hæc quidem duplex eſt. Una porracea, quam praſſinam etiam vocant, quæ porri virorem præſefert: generatur ex vitellina, quando aduritur. Aduſtio enim in cholera vitellina, efficit nigredinem, qua, cum citrinitate mixta, generatur vi-

---

li, improprio vocabulo, bilem acidam appellant Vid. num. 8.

riditas. Altera eſt eruginoſa, quæ eruginis colorem imitatur, & gignitur ex porracea, quando eouſque aduritur, donec humiditas ejus exſiccetur, & ob ſiccitatem albeſcat. Et hæ duæ extremæ, quidem malæ ſunt, ſed eruginoſa pejor. Avicenna loco ſupra citato, & Joannes Tagault. lib. 1. cap. 8. inſtitut. chirurg. Melancholia, ſi in univerſum definiatur, humor eſt frigidus, [18] & ſiccus, ex craſſiore ipſius chyli portione progenitus. Hæc quoque duplex eſt, naturalis ſcilicet, & non naturalis.

Naturalis, eſt boni ſanguinis fex, ac veluti limoſa quædam ſuperfluitas, hoc eſt, craſſior quidem ſanguis, cujus color niger eſt; ſapor vero acerbus, vel acidus, ut vomentibus eum, non raro innoteſcit: hæc in hepate quidem, & in maſſa ſanguinaria (in qua humores univerſi continentur) generata, in duas ſtatim deducitur partes. Una enim, cum ſanguine ad venas defertur, altera ad lienem trahitur. Quæ quidem cum ſanguine defertur, neceſſitatis, & juvamenti cauſa cum ipſo tranſit. Neceſſitatis quidem, ut ſanguini per-

¶ (18) *Melancolici temperamenti ſigna clariora, a celeberrimo Boerhaavio deſignata ſunt Tom. 6. pag.* 186. §. 896. Melancolicæ denique temperiei indicantia habentur, glabrities, pili nigerrimi, macilentia ingens, ſiccitas magna, color utique maxime niger. - - . Quare his vaſa videntur ſtricta, robuſta, macria, humores denſi, tenaces, admodum permixti &c.

miſceatur, pro nutritione membrorum, in quorum temperatura, convenientem melancholiæ partem eſſe oportet, juxta menſuram; quam, materiæ neceſſitas exigit, ſicuti ſunt, lien, oſſa, & omnia membra terreſtria. Utilitatis vero; ſive juvamenti, ut nimis fluidam illam ſanguinis tenuitatem, eouſque reſtringat; firmet, ac condenſet, dum inde, nutriendorum membrorum pars ſolida fiat. Requirit enim ſanguinis, in hiſce animalis particulis nutriendis, craſſitudinem quamdam.

Altera pars, nempe craſſior, magiſque terrea; quæ non ſatis commode a naturali calore alterari potuit, ob neceſſitatem, pari modi, ac utilitatem, ad lienem ſejungitur. Neceſſitas autem, vel eſt ratione totius corporis, nempe ut ipſum a melancholica ſuperfluitate expurgetur, vel unius cujuſdam membri, nimirum ut lienem nutriat. Utilitas vero ejus eſt, quod ad os ventriculi profluens, inventas ibidem humiditates exprimat; non aliter, quam mulierculæ, lac mulgendo e vaccarum uberibus ſolent. Et hujus quidem utilitatis duo ſunt juvamenta: Unum, quod contrahat ventriculum, ac conſtringat, & cum acerba ſit, atque acida, non modo non lædat actiones ejus, ſed multo magis etiam promoveat. Nam ventriculum intendit, ac contrahit in ſeipſum, cogitque cibos ad unguem circumplecti, ac retinere, quouſque fuerint concocti. Alterum, quod acredine ſua, commotionem, ac corrugationem in ventriculo faciat, quibus ventriculus ad cibi appetitionem excitatur. Talis autem virtus excitata, fames appellatur. Fit enim fames, propter ſuccum melan-

cholicum tendentem ad os ventriculi, qui corrugando partem illam, facit famem, ob id igitur; ſuccus melancholicus, utilis in natura fuit. Melancholia non naturalis eſt, quæ á modo deſcripta naturali degenerat; intra tamen limites ſuæ latitudinis permanens: quos, ſi prætergrediatur; non jam amplius melancholia; ſed alius humor dicetur. Ejus, quatuor differentiæ notæ communiter ſtatuuntur; licet plures ſint obſcuræ.

Prima eſt, quando humor ipſe melancholicus; qui naturalis dictus eſt; (& quotidie gignitur in corpore, dum animal ſanitate fruitur,) in propria ſua eſſentia torretur; aduriturve; & putreſcit; fitque bilis atra exquiſite, Talis enim ut lib. 14. cap. 9. Therap. method. & libro de atra bile cap. 3. & comment. 1. 2. lib. 4. aphor. Galenus ait, ex humore atro, ſupra modum aduſto conflatur, habetque ſplendidum aliquid, veluti bitumen, & pix. Hæc autem (vere inquam; atque exquiſite atra bilis nominata eſt) acida eſt, & in terram effuſa, velut acetum fervet, & ipſam, fermenti ritu elevat, cum omni animanti injucunda adeo, ut ne mures quidem ipſi; aut muſcæ eam guſtaverint, non magis quidem, quam copioſum ſalem, in quo nullum animans vitam peragit, ut mare quod *Mortuum* appellatur, indicat. Porro, tum gignitur huiuſmodi nigra bilis, cum ille, veluti ſanguinis limus (quam melancholiam naturalem diximus) diutius moratur in corpore, & neque per aliquem ſenſibilem efflu-xum, neque occultum excernitur: verum tranſmu-

tatur, corrumpitur, & putreſcit. Siquidem hic humor, ubi amplius incaluerit, aut propter putredinem; aut febrem inflammantem; nigram efficit bilem; inquit Galenus libro 14. cap. 9. method. medend. Quæ quidem frigida eſt, quia terreſtris; ſed tamen caloris non expers, quemadmodum, & cinis; & acetum; apparetque; dum per alvum [ut contingit aliquando dyſentericis] excernitur; ſplendidior; ac nigrior; ipſo ſanguine craſſiore; & nigriore; quem humorem, melancholicum appellamus: Splendet enim; veluti mortui maris bitumen, quod *Judàicum* vocant.

Secunda ſpecies, ſeu differentia bilis atræ, non naturalis, eſt; quæ ex aduſtione aliorum humorum naſcitur, ut illa, quæ fit ex flavà bile vehementer uſta: Quæ etiamnum; tantæ eſt malitiæ, ut & terram radat; & eam; more bilis exquiſite atræ; in altum attollat: Sed; & muſcæ ipſam, non ſecus, quam vere nigram bilem; refugiunt. Si ſanguis quoque, aut pituita in corpore vehementer incaluerint, & exurantur; efficitur etiam melancholicus humor, non naturalis per aduſtionem dictus, ut voluit Avicenna: Verum duæ iſtæ poſtremæ ſpecies (quæ ſcilicet per ſanguinis, aut pituitæ aſſationem fiunt) Avicennæ mitiores ſunt. Scribit autem Galenus comment. 29. lib. 3. præd. &t. Hippocr. illam; bilis atræ ſpeciem; quæ ex flava bile vehementer aſſata generatur, deteriorem eſſe; quam ea, quæ ex craſſiore ſanguine generationem habet: quæ, ſubſidenti in dolio vini fæculæ, aut amurcæ, hoc eſt; fæci olei, proportione reſpondet. Hæc enim mitior eſt; ſed

potiſſimum, quoties traxit nondum in animali moram, cum aliquo calore abundanti præter naturam. Verum priuſquam in exactam atram bilem tranſmutetur, primo in vitellinam, ſecundo in porraceam, tertio in æruginoſam tranſit.

Tertia ſpecies melancholiæ non naturalis eſt; quæ originem ſortitur a lapidoſa quadam concretione, ut cum ab imperitis medicis, vel chirurgis eryſipelata, & inflammationes [quas Græci φλεγμονας vocant] aut quivis alii tumores ex naturalibus humoribus procreati, admotis extrinſecus præſidiis, nimis vehementer refrigerantur, adſtringunturque; vel cum iiſdem tumoribus, ea quæ valenter nimis trahunt, digeruntque, medicamenta, applicantur. Tunc enim toto, quod in eis ſubtiliſſimum erat, diſſipato, id quod reliquum eſt [nempe craſſius] plus juſto deſiccatum, lapidis duritiem conſequetur, atque in melancholicum humorem vertetur.

Quarta melancholiæ non naturalis differentia exurgit, quando alius humor, ipſi melancholiæ naturali permiſcetur. (19) Quod dum fit, dulcoratur, ac miteſcit magis, niſi dum alterutra bilis aduſta, huic commiſcetur. Siquidem tunc

¶ (19) *Temperamenta, non ſemper ita manifeſte apparent, propriis characteribus deſignata, ut facile cognoſci poſſint; nam melancholiæ, aliquando phlegma miſcetur, vel ſanguis, & temperamentum compoſitum facit; Ita ſanguini phlegma; vel melancholia, & ſic de reliquis.*

vel aceſcit, vel amareſcit, & eroſionis non modicæ particeps efficitur. Avicenna loco ante citato, & Joann. Tagault. lib. 1. cap. 14. inſtitut. chirurg. Plura Joannes Baptiſta Montanus in C. 1. doct. 4. cap. 1. Avicenna, & Leonhartus Fuchſius lib. 1. ſect. 4. cap. 11. method. perveniendi ad Medicinam.

CAP. LXXXVIII.

De temperatura, sive complexione Sanguinea.

Natura, pingues iſti ſunt, atque jocantes,
Rumoreſque novos, cupiunt audire frequenter.
Hos Venus, & Bacchus, delectant, fercula, riſus.
Et facit hos hilares, & dulcia verba loquentes.
Omnibus hi, ſtudiis habiles ſunt, & magis apti.
Qualibet ex cauſa, non hos facile excitat ira.
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris.

Cantans, carnoſus, ſatis audax, atque benignus.

Signa, quibus ſanguinea temperatura facile dignoſci queat, hic recenſentur.

AC PRIMUM quidem, quod ſanguinei ſint pingues: quod de pinguedine proprie dictum, minime in hoc loco accipiendum eſt: Ea enim ſicuti Galen. lib. 2. cap. 9. de temp., & poſt eum Avicenna 2. 1. doct. 3. cap. 3. atteſtantur, ex habitus frigiditate gignitur; ſed de pinguedine ad mediocrem corpulentiam, ſive carnis abundantiam (1) extenſa, quam εὐσαρκίας Græci vocant. Siquidem rubræ carnis, cum decenti firmitate abundantia, calidæ, ac humidæ, hoc eſt, ſanguineæ temperaturæ, nota eſt. Quibus enim, plus eſt carnis rubræ, ii, & virtutem aſſimilativam habent potentem, & ſanguine abundant, quippe quæ, [Galeno loco jam citato teſte,] vigeant, invaleſcantque calido, atque humido: Corpulentia, inquit, ſive abundantia carnis, ex ſanguinis copia naſcitur. Cum enim calori, intra debitos fines manenti, boni ſanguinis accedit copia, neceſſe eſt, ut corpus

¶ (1) *Homines ſanguinei temperamenti, necnon mulieres, ſatis copioſa carne abundant, verum molli, & ſincera, cum correſpondenti lymphæ quantitate, cujus ſigna apud Boerhaavium lib. 6. prælect. Acad. pag.* 186. §. 894. Sed ſanguineum temperamentum diſtinguitur, pilis rarioribus, flacco-albis, fuſcis, carni molli copioſa &c.

lentia ſequatur. Idem innuere, etiam his verbis Avicenna voluit. Corpus carnoſum, abſque multo adipe, & pinguedine, eſt calidum, & humidum, id eſt, ſanguineum.

SECUNDUM, quod ſanguinei ſint, vel jocantes, ut qui multa jucunditate, magnoque jocandi lepore, amicis, ac familiaribus ſuis, riſum ſubinde moveant: vel læti, hoc eſt, alacri, & erecto animo, idque maxime, ob ſpirituum, qui ex ſanguinei humoris benignitate procreantur, ſubtilitatem, & perfectionem (2).

TERTIUM, quod facetiarum, jocoſarumque fabularum, & novarum rerum auditione, eamdem ob cauſam, mirifice capiantur.

QUARTUM, quod proni admodum ſint in Venerem: Nimia enim Venus, ſeu intempeſtivum ejus deſiderium, fit ob multitudinem genituræ, quæ ex ſanguinis copia potiſſimum naſcitur.

QUINTUM, ET SEXTUM, quod convi-

¶ [2] *Sanguis, prout veris globulis conſtans, promptam, & ſpeditam circulationem, per omnia vaſa, exercere debet: omnes ſequeſtrationes, & excrecretiones, ſimul eadem proportione, illam merito ſequuntur, urinæ nempe, ſudoris, ſeminis, aliarumque, in primis ſpirituum, quia ſanguis ad caput appulſus, quantitate, & optima qualitate præſtat. Ideo, qui hoc temperamentum ſortiti ſunt, iraſcuntur facile, omnibuſque exercitiis peragendis aptiſſimi, literario ſtudio, & cuicumque intellectuali facultate ſatis idonei.*

via appetant, vino ſuaviter indulgeant, & cibis gaudeant optimis, atque exquiſitiſſimis; ſcilicet ſui ſimilibus, & quibus ſervari poſſint: ſervantur enim ſimilia ſimilibus.

SEPTIMUM, quod ridibundi ſint, hoc eſt, facile rideant quod Hippocratis etiam teſtimonio confirmatur, qui in libro de ſtructura hominis, aphor. 2. ita ſcriptum reliquit: Qui enim puri ſanguinis, non inexpertes ſunt, hi uſquequaque rident, & aſpectu, ac corpore floridi, nec non perſpicui coloris.

OCTAVUM, quod hilares ſint, ac læto vultu: idque ob vividum maxime, ac floridum colorem, & venuſtatem corporis: hæc enim omnia, ſanguinem, qui temperatus eſt, conſequuntur.

NONUM, quod blanda plerumque, & auditu jucunda verba, ab ipſorum ore profluant: quod & ipſum utique, ob ſanguinis benignitatem, evenire putandum eſt; *ὁ αἱ γὰρ αἱ τῶν ανθροπων κρατεις ποιῦτος, ϗ αυτων ὁ λογος.*

DECIMUM, quod ingenioſi, hoc eſt, artibus quibuslibet addiſcendis idonei ſint: nimirum ob vigorem, & inſitam ingenii, ex ſanguine vim, ſive docilitatem. Hinc etiam Hipp. in lib. de flatibus, aph. 20. ita ſcripſiſſe videtur: Opinor autem inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem.

UNDECIMUM, quod non facile excandeſcant, præcipiteſque in iram ferantur: reprimit enim ſanguinis humiditas, bilis fervorem, (3) qui

---

¶ (3) *Non videtur, temperamentum ſanguineum*

ὀξε-

ὀξεθυμίαν efficit. Unde eleganter ſane, flavæ bilis frenum, ab Avicenna 4. 1. capite 20. dicitur.

Poſtremis duobus verſibus, non ſolum, ex jam dictis repetuntur quædam; ſed adduntur etiam alia nonnulla.

QUORUM PRIMUM, quidem eſt, quod ſanguinei ſint largi, hoc eſt, liberales, benefici, & ab omni avaritia alieni.

SECUNDUM, quod amoribus ſint dediti.

TERTIUM, quod hilares ſint, & jucundo, ac læto vultu.

QUARTUM, quod ridibundi. Quæ omnia, ex ſanguinis benignitate eveniunt.

QUINTUM, quod rubei ſint coloris: Humor enim, cuti colorem adfert, quemadmodum lib. 1. aphor. comment. 2. Galenus adſerit. Et Aviç. 2. 1. doct. 3. cap. 3. Color, inquit, rubeus, ſanguinis multitudinem ſignificat. Quod intelligendum maxime, de colore, qui ex rubeo, & albo, cum jucundo quodam nitore commixtus ſit, & non, qualis in facie eorum viſitur, qui fortia potant vina, & in cibo, ſalſis, atque acribus utuntur ſpeciebus; nempe rubeus, fuſcedine quadam permixtus: hic enim lepram portendit.

SEXTUM, quod cantionibus, & muſicis de-

---

bilis fervorem reprimere poſſe, cum ſanguis ipſe nimis calens, aliunde temperandus ſit: Et revera ex Boerhaavio habemus eodem §. ſup. cit. Venis amplius ceruleis ſanguine diſtentis; colore roſaceo; iracundia &c,

lectentur harmoniis: quippe quæ, & ipſæ, [auctore Theophilo Citharœdo, apud Athenæum l. 14. δείπνοσοφ:] perinde, atque ſanguis temperatior, ἀγαθὰ ἤθη, ideſt, bonos, ac candidos mores pariant. μέγας γὰρ θησαυρὸς ἐστὶ, καὶ βέβαιος ἡ μουσικὴ ἅπασι τοῖς μαθοῦσι παιδευθεῖσί τε καὶ γὰρ ἤθη παιδεύουσι, καὶ τοὺς θυμοειδεῖς, καὶ τὰς γνώμας διαφόρους καταπραΰνει.

SEPTIMUM, quod ſint corpulenti.

OCTAVUM, quod ſint audaces; idque ob ſanguinis caliditatem.

NONUM, quod ſint benigni, clementes, liberales, & benefici: ratione nimirum humoris ſanguinei, qui eſt dulcis, mitis, & benignus.

CAP. LXXXIX.

DE TEMPERATURA CHOLERICA, SIVE BILIOSA

EST humor choleræ, qui competit impetuoſis,
Hoc genus eſt hominum, cupiens præcellere cunctis.
Hi leviter diſcunt, multum comedunt, cito creſcunt.
Inde, & magnanimi ſunt, largi, ſumma petentes.
Hirſutus, fallax, iraſcens, prodigus, audax.

Aſtutus, gracilis, ſiccus, croceique coloris.

Bilioſæ temperaturæ notæ, hoc in loco traduntur.

AC PRIMA quidem, quod bilioſi, ſive cholerici, quos χολώδεις Græci vocant, prompti admodum ſint ad operationes; (1) ſed impetu ani-

---

¶ [1] *Omnes bilioſi præter propter, ab incognita cauſa, ad omnes quaſcumque operationes concitari videntur: Viget enim in eorum nervoſo ſyſtemate, intenſior, & continuus ſtimulus, propter humorum acrimoniam, a qua omnes machinæ, & vaſa laceſſita, promptius in ſuis operationibus, ſe expediunt. Vid. Prælect. academ. Boerhaav. Tom. 6. pag.* 891. §. 893. Bilioſa temperies cognoſci deſcribitur a pilis copioſis nigris, criſpis, duritie, macilentia, gracilitate carnis, colore fuſco, venis magnis, pulſu magno . . . pertinacia, iracundia. His videtur, major ſolidi, quam humidi copia excedere &c. *Idem ſtimulus, qui omnes operationes generice loquendo, promovere valet, omnes ſimul excretiones intendit, & præ cæteris inſenſibilem perſpirationem. Inſuper, quia omnes humores acerrimi ſunt, expedit, ut omnia vaſa, & reliquæ ſolidæ partes ſummo robore præſtent, ſoliditate, denſitate, ut eorum contactum ferre, abſque moleſtia, poſſint, alioquin ſtimulus ipſe in convulſionem abiret. Hinc data ſolidorum ſumma reſiſtentia, nimiæ nutritioni, & apponendæ materiæ, non dabitur locus.*

mi potius, quam cogitatione faciant omnia. Igneum enim habent calorem, qui impetum, & agilitatem ad motiones præſtat. Hinc 2. 1. doct. 3. cap. 3. ita fere ab Avicenna ſcribitur: Cum operationes, plene, ac perfecte, naturali curſu procedunt, temperaturæ æqualitatem indicant: cum vero ad ſuperfluos mutantur motus, caliditatis exuperantia ſignificatur.

SECUNDA, quod ambitioſi ſint, & honorum cupidi, primaſque in conciliis, ac conſeſſibus expetant cathedras, adeoque præferri omnibus velint: Perinde atque ignis ipſe, qui ſine pondedere ſemper evolat, excelſoque locum, ſibi quærit in aere. Exuperans enim ille calor, animos ad inſolentiam plerumque, & arrogantiam excitat, atque inflammat.

TERTIA, quod celeris ſint mentis, ingeniique, & facile diſcant: ob calidam nimirum, & ſubtilem cerebri ſubſtantiam, quæ formas cito, ac facile ſuſcipit. Hinc non temere, mentis acumen, & prudentiam a bilioſo humore (2) proficiſci,

---

¶ [2] *Bilis in ſtatu ſano, mechanica neceſſitate, numquam caput petit, quia ejus partes ſanguine leviores, a ſpherica figura ſatis diſtant, & vix ſanguini commiſtæ, ad vaſa lateralia propelluntur. Soli globuli ſanguinei, & lymphatici ſolidiores, & majori gravitate donati, arterias charotides adeunt pro ſpiritus præparatione, Confer quæ dicta ſunt pagina* 201. *numero* 2. *libro* 1. & *pagina* 215. *numero* 11. *Si vero quacumque de cauſa, ut:*

comment. 40. de natur. humana Galenus tradidit. Lege plura de hoc apud eundem cap. 12. artis medicinalis, & Avicennam, loco, aliquoties jam citato:

QUARTA, quod edaces [3] ſint, & multivori: primum enim fortem habent calorem concoquentem, tum ipſis etiam plus per omnem cutem digeritur, & in ambientem aerem evacuatur, quam aliis corporibus:

QUINTA, quod cito adoleſcant; & corporis incrementum conſequantur; validiſſimum enim habent calorem Innatum: hic vero omnes actiones naturales adauget; ergo, & eam, qua corpus ad ſummum incrementum (ακμὴν Græci vo-

in ſtatu morboſo, in febribus nempe putridis biliosis, quando Bilis facta eſt nimis acris, alkalina volatilis, ſanguini intime commiſta, aliqua ejus portio ad caput feratur, delirium, convulſiones, letargum, & alia pathemata ſequuntur. Quia vero in hiſce temperamentis omnes humores optime parantur, cum omnibus requiſitis dotibus, propter Bilis efficaciam, quae, omnia ſolvit alimenta, miſcet, attenuat, atque lentorem, & cacochimiam arcet, ita etiam animæ omnes functiones, æque ſeliciter peraguntur.

¶ (3) *Ex probatis num. 1, & 2. ſi bilis omnia ſolvit alimenta, & ſolidorum momentum excitat, omneſque excretiones; merito adpetentiam provocat, omneſque duriores cibos ſolvit, ac digerit. Vid. pag. 95. n. 5. Tom. primi.*

cant] perducitur. Galen. comment. 14. aphor. lib, 1. & lib. 5. cap. 8. de ſimpl. medicament. facult.

SEXTA, quod magnanimi ſint, illataſque injurias, iniquo animo ferentes, a ſe propulſare ſtatim conentur; idque maxime, ob caliditatis exuperantiam. Parum enim ab unaquaque re pati poſſe, caliditatem ſignificat, inquit Avicenna.

SEPTIMA, quod largi, benefici, ac liberales ſint; præſertim in eos, unde honores ſe conſecuturos ſperant.

OCTAVA, quod ſumma petant; id eſt, ad ſummos ſemper dignitatum, ac honorum gradus affectent viam.

NONA, quod ſint hirſuti. Calida enim, & ſicca temperies, ſicut Galenus lib. 2. cap. 10. de temper. teſtatur hirſuta eſt: verum ea in ſummo. Quippe, per omnem cutem difflatur ſemper aliquid a calido, quo ſecum etiam interim, humoris nonnihil ad cutem adfert, unde pili generantur. Quomodo autem hæc generatio fiat, copioſe admodum ibidem docet.

DECIMA, quod verſuti, fallaces, & deceptores ſint.

UNDECIMA, quod præcipites ſint in iram, acerbe nonnumquam, vehementerque excandeſcant, & iraſcantur: ob animoſæ nimirum facultatis vehementiam, magnum caliditatis exceſſum, facilem bilis commotionem, & caloris in corde fervorem. (4) Lege Galenum cap. 29. & 33. artis

---

¶ [4] *Omnes animi affectus, ſenſuum miniſterio*

medicinalis lib. 2. cap. 16 de ſanitat. tuend. & in lib. de cauſis morbor: cap. 2.

DUODECIMA; quod ſint prodigi, in eos potiſſimum; a quibus ſe, ad ſummos dignitatum gradus promovendos ſperant.

DECIMATERTIA, quod audaces, fortes, ac animoſi ſint: Plurimum enim in corde caloris habent; Galeno lib. 2. cap. 12. de temperament. teſte.

DECIMAQUARTA, quod ſint aſtuti, & hoc ſane; ob flavæ bilis, tum caliditatem; tum mobilitatem.

DECIMAQUINTA; quod graciles, id eſt, macilenti, ac raræ ſint corpulentiæ: ob exuperantem nimirum, & immodice diſſlantem caliditatem. Hinc magna ex parte graciles ſunt bilioſi: Galeno comm. 6. lib. 4. aphor.

DECIMASEXTA, quod ſicci ſint, id eſt, macri; eadem ratione.

DECIMASEPTIMA; quod crocei ſint coloris, ideſt, pallidi, aut flavi. Certiſſima enim ſucci animalis cognitio, ex colore datur. Tamquam igitur corpus, ſicubi albius ſolito eſt affectum, pituitoſum abundare ſuccum indicat; ſicubi palli-

excitantur, eo vividiores, quo ſenſus ipſi, intenſiori ſtimulo afficiuntur, & rurſus, eo ſtimulus fit intenſior, quo humores ad eum inducendum ſunt activiores. Hæc omnia in hominibus bilioſæ temperiei adunquem verificantur. Vid. quæ de Ira dicta ſunt pag. 23. n. 6. tom. prim.

dius, aut flavius, bilioſum: ita ſicubi adrubicundius quam pro natura, eſt mutatum, ſanguinis abundantiam ſubeſſe ſignificat, ſicubi adnigrius, nigram ſupereſſe bilem oſtendit. Ita Galenus lib. 4. cap. 7. de ſanit. tuend. Lege eundem comment. 2. lib. 1. aphor.

CAP. XC.

De temperatura Phlegmatica, sive pituitosa.

PHlegma dabit vires modicas, latoſque, breveſque:
Phlegma facit pingueis, ſanguis reddit mediocres.
Otia non ſtudio tradunt; ſed corpora ſomno.
Senſus hebes, tardus motus, pigritia, ſomnus.
Hic ſomnolentus, piger, & ſputamine plenus.
Eſt huic ſenſus hebes, pinguis, color albus.

Hic recenſentur notæ temperaturæ phlegmaticæ. PRIMA, quod phlegmatici viribus ſint infirmis, ac invalidis; cum enim phlegma frigidiſſimum, ac humidiſſimum ſit omnium, quæ in ani-

mali habentur, mobilitatem caloris innati, & quæ inde oriuntur facultates omnes; magna ex parte obtundit, ac debilitat, & occaſione quidem frigiditatis, torpidum, pigrumque corpus ad naturæ actiones omnes reddit. Humiditatis vero ratione nervos omnes relaxat, languidoſque facit: quo fit, ut phlegmatici, in quibus, hic humor prævalet, in omnibus motibus voluntariis pigritiam ſentiant. (1)

¶ [1] *Phlegmatici temperamenti ſigna apud Boerhaavium lib. 6. pag. 186 §. 885. prælect. acad.* Phlegmaticum quoque depingitur, glabritie cutis majore, pilis albis, tenuibus, tarde creſcentibus, albedine, tumore, mollitie, pinguedine &c. *Hoc enim temperamentum, bilioſo directe eſt oppoſitum, in quo bilis defectus, & inefficacia humores lentos; & glutinoſos parit, & lympham a rubro ſanguine ſejungit, quæ ad vaſa lateralia, ſatis debilia, & ampla, quamfacile adfluit. Hinc perſpirationis inſenſibilis ſuppreſſio, & ſudor copioſior: nam humor ipſe ab origine tenax, & vaſorum momentum debilius, hujus turgentiæ duplicem cauſam conſtituunt. Ideo phlegmatici fere omnes, torpidi, inertes, ponderoſi. Vid. prælect. academ. Boerhaav. tom. 3. pag. 305. diction.* (levitas.) Corpus leve eſt ad ſenſum, quoties perſpiratur æquabiliter, id autem fit, quando humores omnes, per vaſa omnia perfecte diſtribuuntur. Quæ vero pars corporis minus perſpirat, ea gravior eſt; & ſi totum corpus non perſpirat, totum ponderoſum eſt. *Item cap. 65. num. I.*

SECUNDA ; quod ſint lati; ſed brevioris ſtaturæ: ob debilitatem enim caloris innati, corpus in longum extendi non poteſt; porrigitur ergo, & in latitudinem protenditur. (2)

TERTIA, quod pingues ſint, & obeſi; nimirum ob frigiditatem, & humiditatem: Adeps enim, vel pinguedo ſuperflua, frigiditatis, & humiditatis exceſſum ſignificat, & temperaturam corporis phlegmaticam: Quicquid enim in ſanguine, pingue, leve, & tenue eſt, id in calidioribus corporibus, alimentum quoddam, calido fit: in frigidioribus ſervatur: Cum porro, id venæ extra ſe tranſmiſerint, ubi in frigidas particulas incidit, quod genus membranæ ſit, in iis concreſcit, & in adipem, ſive pinguedinem conver-

---

¶ [2] *Omnes actiones, & motus, tam voluntarii, quam vitales, ab una, eademque cauſa efficiuntur; a ſpeditiori influxu nempe ſanguinis arterioſi ad caput, & ſpiritus nervoſi a capite ad reliquas partes. Bilioſis, æque celeris ſanguinis motus, & functiones omnes, ac animi affectus; liquidorum impetus, aeque fortior, ac praerapidum corporis augumentum. Secus vero Phlegmaticis. Vid. num. antecedente, in quibus humorum adfluxus ad vaſa lymphatica ſemper major eſt, ac ſanguinis impetus contra ſolidorum reſiſtentiam, hinc in latitudinem corpus creſcit. Ex Phiſiologicis habemus corpus adoleſcere, uſquedum vires impellentes ſanguinis majores ſunt reſiſtentia ſolidorum.*

titur: (3) Galeno lib. 2. cap. 6. de temperam. Sequitur deinde, ſanguineos, eſſe ſtaturæ mediocris. Quicumque enim corporum habitus, & temperati natura ſunt; & mediocri exercitatione utuntur, hos neceſſe eſt ἀσταρκὲς eſſe; id vero eſt; mediocri omnino corporis habitu.

QUARTA, quod ad otia; quam ad ſtudia propenſiores ſint: inſtrumentis imirum; veluti torpentibus ob frigiditatem. Galenus lib. 3. de ſymptom. cauſis cap. 3.

QUINTA, quod ſint ſomnolenti; idque ob multam cerebri humiditatem, & frigiditatem. Frigiditas tamen, minorem vim ad procreandum ſomnum, quam humiditas obtinet. Galen. cap. 22. artis medicinal.

SEXTA, quod tardi, ac hebetis ſint ingenii: quemadmodum enim mentis celeritas; ἀγχινοια Græcis dicta; & diſcendi facilitas, quam εὐμάθειαν iidem vocant; a caliditate, & ſiccitate, ita eorundem hebetudo, ac tarditas a contrariis; nempe a frigiditate, & humiditate, exordium ſuſci-

¶ [3] *Omnes nempe humores alimentitii; & fortaſſe etiam excrementitii, qui propter remiſſum ſolidorum momentum, intra vaſa retinentur, & inſenſibilis perſpiratio omnino ſuppreſſa, vel nimis parca, obeſitatis cauſam conſtituunt. Iidem humores in bilioſis, propter jam adſignatas cauſas omnes, in perſpirationem inſenſibilem habeunt, unde reliquae excretiones longe minores.*

piunt. Galenus cap. 12. 16. 18. & 22. artis medicinal.

SEPTIMA, quod tardi ſint motus, & hoc frigiditatis, ac humiditatis ratione; frigidi enim proprium eſt non movere; humidi vero relaxare.

OCTAVA, quod ſint pigri.

NONA, quod ſint ſomniculoſiores: quorum omnium cauſæ, ex jam dictis, ſatis conſtant.

Poſtremis duobus verſibus, repetuntur notæ prædictæ, cum quibuſdam aliis.

PRIMA, quod ſint ſomnolenti.

SECUNDA, quod pigri, ac tardi ſint ad quamlibet operationem.

TERTIA, quod multi ſputi: (4) frigiditas enim improbe concoquit, ac digerit, proinde multa in corpora excrementa relinquit.

QUARTA, quod ſenſibus minime vigeant: Galenus cap. 22. artis medic.

QUINTA, quod ſint pingues.

SEXTA, quod album habeant faciei colorem; de quo ſatis in præcedenti capite, nempe 89.

¶ (4) *Quoties omnium evacuationum maxima deficit in obeſis, qualis eſt inſenſibilis perſpiratio, neceſſe eſt, ut Natura per ſputum, ſudorem, urinam, & ſeceſſum, ſuperfluo humore ſe exoneret.*

C A P. CXI.

De temperatura Melancholica.

Eſtat adhuc, triſtis choleræ, ſubſtantia, nigræ,
Quæ reddit pravos, pertriſtes, pauca loquentes.
Hi vigilant ſtudiis, nec mens eſt dedita ſomno,
Servant propoſitum, ſibi nil reputant fore tutum.
Invidus, & triſtis, cupidus, dextræque tenacis.
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

Signa melancholicæ temperaturæ, hoc in loco referuntur. Ac PRIMUM quidem, quod melancholici ſint pravi, hoc eſt malis, feris, ac perditis moribus, ut qui eo, mœſtitia facile inducantur, ut mortem deſiderent, jugularique ſe optent, (1) & odio proſequantur omnes quotquot

¶ (1) *Melancolici facile in furorem incidunt, ſive in delirium melancholicum. Ipſa namque atra*

viderint. Galeno lib. 3. de loc. affect. cap. 7.

SECUNDUM, quod triſtes admodum ſint, inſidiaſque ſibi tendi in omni vita ſuſpicentur. Ob turbidos nimirum, & tenebricoſos, qui, ex melancholico humore, procreantur ſpiritus. Quemadmodum enim puri, ac tenues ſpiritus lætitiam, ita e contrario, turbulenti, ac craſſi, triſtitiam contrahunt.

TERTIUM, quod taciturni ſint, & paucorum verborum; ut enim caliditas garrulitatem, ſic frigiditas taciturnitatem, & ſilentium generat.

QUARTUM, quod ad bonarum artium ſtudia apti, habiles, atque accommodati ſint, propter ſolitudines nimirum, & ſecreta, quæ fere petunt loca. Nam ut lib. 2. epiſtola ultima Horatius ait.

Scriptorum chorus omnis, amat nemus, & fugit urbes.

---

bilis ad caput delata [Vid. Caput 89. n. 2. imaginationem, & ratiocinium turbat, merorem, triſtitiam, & non raro vitæ tedium cauſat, amorem ſolitudinis, commercii, & ſocietatis odium. Verum dum bene valent, licet in invincibili ſpocondria, ingenio, & mentis penetratione præſtant; atque ad altiſſimas cognitiones perveniunt. Hujus temperamenti ſigna apud Boerhaavium Tom.6. prælect. acad. pag. 186, §. *896.* Melancolicæ denique temperiei indicantia habentur, glabrities, pili nigerrimi, macilentia ingens, ſiccitas magna; color ubique maxime niger . . . . ira, meror; magna penetratio intelligentiæ &c.

Eandem ſententiam, ſic extulit Ovidius lib. I. eleg. I. Triſtium :

Carmina, ſeceſſum, ſcribentes, & ocia quærunt.

Hinc eſt, quod Hipp. de Democrito Abderita ad Philopœmenem epiſt. I. ita ſcriptum reliquerit. „ Non inſaniam ; ſed quamdam excellentem mentis ſanitatem vir ille declarat, dum neque liberorum, neque uxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicujus curam gerit ; ſed & diu, & noctu apud ſeipſum conſiſtit, & privatam vitam degit, plerumque in antris, & ſolitudinibus, aut ſub arborum umbris, aut in mollibus herbis, aut apud frequentia aquarum fluenta. Contingunt igitur talia plerumque atra bile percitis. Taciturni enim aliquando ſunt, & ſolitarii, ac deſerti amantes, & rerum familiarium conſpectum averſantur, alienum putantes. Nec vero diſſimile vero eſt, etiam his, qui circa diſciplinas verſantur, ab una erga ſapientiam adfectione, alias curas excluſas eſſe „. Lege Ariſtotelem problemate I. ſect. 30. Ciceronem lib. I. Tuſcul. quæſtion. & Quintilianum lib. 10. cap. 3.

QUINTUM, quod brevibus admodum, minimeque profundis pertententur ſomnis. Nam ad ſomnum creandum, calidum (2) adeſſe humorem

¶ (2) *Æſtivo tempore, nimis æſtuans calor ſomnum diſſipat, & irrequieti tota nocte excandeſcimus. Hyeme vero, longiori ſomno quieſcimus. Neque præſtat ratio ebriorum, qui fere ſenſuum*

opus eſt: hic enim concoqui expedite poteſt, indeque ad caput vapores ſurgunt, a quibus ſubinde ſomnus inducitur. Quod ſi deeſt, exiguuſque humor, aut concoctu difficilis ineſt, ſomnus non oritur. Qua de cauſa, poſt cibum, ſomnolentiſſimi fieri, ob calorem, ſolemus. Melancholicos vero, & vehementer æſtuantes inſomnia tenet. Hos, quia nullus eſt, aut certe minimus: horribilia etiam viſa, melancholicis, per quietem objiciuntur, quibus maturius e ſomno excitantur. Galenus lib. 1. cap. 8. de ſymptom. cauſis. Et Cælius Rhodiginus lib. 16. cap. 36. & 37. lect. antiq.

SEXTUM, quod conſtantes, ac ſtabiles admodum ſint in rebus gerendis, ægerrimeque dimoveantur ab eo, quod menti ſemel hæſerit: adeoque difficulter etiam, ſi quando offendantur, in veterem gratiam reſtitui poſſint: Et hoc certe ſic.

---

deſtituti, diutius dormiunt, nam eorum ſomnus morboſus dici meretur. Vid. pag. 200. *n.* 20. *Tom. prim. de Vini effectibus. Inſuper ab omni ſtimulo, tam in Capite, quam in quacumque corporis parte agente, fugatur ſomnus. In optima diatheſi ſomnus placidiſſimus evenit. Vid. Tom.* 4. *Prælect. acad. Boerhaav. pag. pag.* 276. Tanta enim ſomnolentia cum indicibili ſuavitate conjuncta, & me, & Chirurgum, & Aurigam oppreſſit, ut certo ceſſiſſent diræ voluptati, niſi ego, gnarus periculi, juſſiſſem comites de curru deſcendere, & ambulando ſanguinem movere &c.

citatis

citatis occaſione: quæ non ſinit propoſitum faci-le immutari.

SEPTIMUM, quod nihil ſibi tutum fore putent; adeoque ſemper timeant: Hinc eſt quod Galenus lib. 2. cap. 7. de ſimpt. cauſis ita ſcriptum reliquerit. Illud, quod ab Hippocrate prohibetur, omnibus melancholiæ ſpeciebus commune eſſe videtur. Si timor, & mœſtitia multo tempore durant, melancholicum, ejuſmodi ſymptoma eſt. Sunt enim omnes, ſine cauſa, mœſti. Nec, ſi roges quamobrem mœreant, reddere cauſam poſſunt. Timent autem eorum nonnulli, tum mortem; tum alia, quæ minime ſunt timenda. Non deſunt, & qui mori vehementer expetant. Cæterum, quod ex atra bile, cum principium rationalis animæ occupavit, timor, mœrorque, ac mortis expectatio accidant, nihil mirum. Siquidem, etiam eorum, quæ extra corpus ſunt, nihil videmus, quod nos perinde terreat, ac tenebræ. Ergo, cum tenebræ, rationalis animæ parti ſunt circumfuſæ, neceſſe eſt hominem timere: ut qui ſemper, una cum corpore ſuo, timoris cauſam circumferat. Quod enim nobis extrinſecus fit, altiſſimis tenebris circumdatum nobis aerem, ad tempus aliquod occupantibus: id melancholiæ vitio laborantibus, ab interno, & ipſo corpore contingit: ſcilicet, vel ipſa nigra bile cerebrum occupante, vel aliqua melancholici halitus exhalatione, veluti in morbo, quem flatuoſum, & hypochondriacum vocant. Idem libro tertio, capite ſeptimo, de locis affect. jam citatam ſententiam iis fere repetit verbis. Differunt autem inter ſe

melancholici. Nam omnes timent, mœrent, vitam damnant, odio habent homines; ſed non omnes mori cupiunt. Etenim, hoc ipſum, nonnullis melancholiæ caput eſt, quod mortem pertimeſcunt. Quoſdam etiam alieno admodum, atque extraneo videbis animo: utpote qui ſimul, & mortem metuant; & tamen mortem ſibi conſciſcant. Proinde recte videtur Hippocrates, omnia ipſorum accidentia in duo hæc cogiſſe, metum, & mœſtitiam. Mœſtitia nimirum eos inducit, ut odio proſequantur omnes, quotquot viderint, nunquam non triſtitiam præſeferentes: ac terrentur, ut in tenebris pueri, atque ex adultis indocti. Sane quemadmodum externæ tenebræ, omnibus fere hominibus pavorem inducunt, niſi, vel audaces admodum, vel edocti fuerint: ſic atræ bilis color, mentis ſedem, tenebris ſimilem reddens, timorem efficit. Etenim ſummis, tum medicis, tum philoſophis in confeſſo eſt, & humores, & omnino corporis temperamentum animæ actiones variare poſſe. Poſtremis duobus verſibus, repetuntur quædam ex jam dictis, & adduntur nonnulla alia.

PRIMUM, quod ſint invidi: Eſt enim invidia, triſtitiæ ſpecies.

SECUNDUM, quod triſtes.

TERTIUM, quod avari.

QUARTUM, quod tenaces.

QUINTUM, quod fraudolenti.

SEXTUM, quod valde timidi.

SEPTIMUM, quod lutei, id eſt, terrei, ſive fuſci coloris ſint: Color enim pure fuſcus,

qui viriditati propinquus eſt, melancholiæ dominium oſtendit, teſte Rhaze libro 2. capite 1. ad Almanſorem.

C A P. XCII.

HI ſunt humores, qui præſtant cuique colores.
Omnibus in rebus: ex phlegmate, fit color albus.
Sanguine fit rubens, cholera rubea quoque, rufus.

Indicia Redundantiæ Sanguinis.

Si peccet ſanguis, facies rubet, extat ocellus,
Inflantur genæ, corpus nimiumque gravatur,
Eſt, pulſuſque frequens, plenus, mollis, dolor ingens,
In primis frontis, fit conſtipatio ventris,
Siccaque lingua, ſitis, ſunt ſomnia plena rubore,
Dulcor adeſt ſputi, ſunt acria, dulcia quæque.

Hic, cujuſque tempetaturæ, ex coloribus, indicia præſcribuntur. Phlegmatici enim, coloris (1) ſunt albi: bilioſi, pallidi, ſive flavi: ſanguinei, rubri: Melancholici vero fuſci: qui proprie, Galeno lib. 14. cap. 9. Therap. method. teſte, color eſt, inter rubrum, & nigrum medius. Sed de his omnibus, in præcedentibus, ſatis jam dictum eſt.

SECUNDO loco, tredecim traduntur notæ redundantis ſanguinis.

PRIMA, rubor faciei: ob aſcenſum enim ſanguinis, omnia, quæ circa caput ſunt, rubicundiora apparent.

SECUNDA, oculorum prominentia: calor namque exuberantis ſanguinis, ipſos dilatat, ac flatu diſtendit.

TERTIA, genarum inflatio: cujus eadem eſt ratio.

QUARTA, univerſi corporis, cum diſtentione gravitas: Natura enim, cum contentum humorem moderari nequeat, corpuſque, multitudine gravatum ſuſtinere minus valeat, ſupplantatur, ac dejicitur.

QUINTA, pulſus creber: propter caliditatem, quæ ſanguinis multitudinem ſequitur.

SEXTA: pulſus plenus, ob calidorum, & humidorum vaporum copiam.

¶ (1) *Superflum videtur, ulterius de coloribus verba facere, quatenus unumquodque temperamentum a ſuo peculiari colore, præter reliqua nuper enunciata ſigna, præſumitur.*

SEPTIMA, pulſus mollis: nimia enim ſanguinis exuberantia, arteriæ emolliuntur.

OCTAVA, dolor capitis, & maxime quidem circa frontem: ob ſanguinis, in plexu reticulari, ut quibuſdam placet, augmentum.

NONA, ventris conſtipatio: nimia enim caliditate, fæces exſiccantur, & indurantur.

DECIMA, ſiccitas linguæ: ob eandem cauſam.

UNDECIMA, vehementia ſitis: orificium enim ſtomachi, præ nimia caliditate exſiccatur.

DUODECIMA, ſomnia plena rubore: Nam quæ in ſomnis viſuntur, agique putantur, magna ex parte corporis affectionem, humorumque naturam, plenitudinem, defectum, ac qualitatem teſtantur. Nam qui ægre ſe moveri putant, aut gravia onera portare, aut in ea re impediri, quam ſe efficere ſomniant, animalem facultatem, ex plenitudine, aut craſſitie, aut viſcoſitate humorum, depravatam habere, cojiciendum eſt. Contra, qui ſe, vel volare, vel currere ociſſime credunt, humores paucos, eoſque leves, minimeque excrementoſos habere veriſimile eſt. Et qui nocturnas Veneris imagines patiuntur, genitali ſemine abundare. Ad eundem modum, qui in locis fœtentibus, ſordidis, ac immundis ſe volutari putant, illos in corpore materiam putrem, corruptamque, ac graviter olentem habere ſuſpicio eſt: quemadmodum contra, qui in locis odoris ſe eſſe autumnat, materiam probam, ſuaviterque olentem: & cui accenſus ignis apparet, hunc, a flava bili infeſtari. Cui vero fumus, aut caligo, aut profundæ tenebræ,

ab atra bili: Imbres autem, frigidum humorem abundare teſtantur, nix vero, & glacies, & grando, frigidam pituitam. Gallorum gallinaceorum criſtas habere, aut rufa quædam: ſanguinem exuperare. Luctatorem, qui ſibi viſus fuit, in ſanguine abundare Galenus conjectavit, & evacuatione opus habre. Hæc fere Galenus comment. 3. in lib. 1. epidem. aphor. 1. & in libello de dignotione ex inſomniis. Lege & Rhazen lib. 2. cap. 24. ad Almanſ. & Avicennam 2. 1. doct. 3. capite 7.

DECIMA TERTIA, dulcedo ſputi: propter ſanguinis dulcedinem. Rhazes lib. 2. capite 20. ad Almanſorem.

Indicia Exuberantis Cholerae, ſive flavae bilis.

Accuſat choleram dextræ dolor, aſpera lingua,
Tinnitus, vomituſque frequens, vigilantia multa.
Multa ſitis, pinguiſque egeſtio, tormina ventris.
Nauſea fit, morſus cordis, langueſcit orexis.
Pulſus adeſt gracilis, durus, veloxque, caleſcens.
Aret, amareſcitque, incendia, ſomnia fingit.

Lege de his omnibus Rhazen lib. 2. cap. 1. ad Almanſ. & Avicen. 2. 1. doct. 3. cap. 7.

Indicia Redundantis Phlegmatis.

Phlegma, ſupergrediens proprias in corpore leges,
Os facit inſipidum, faſtidia crebra, ſalivas:
Coſtarum, ſtomaci, ſimul, occipitiſque dolores.
Pulſus adeſt rarus, tardus, mollis, quoque inanis,
Præcedit fallax, phantaſmata, ſomnus aquoſa.

Rhazes lib. 2. cap. 23. ad Almanſorem, & Avicenna 2. 1. doct. 3. cap. 7.

Indicia Abundantis Melancholiae.

Humorum pleno, dum fæx in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulſus, tenuisque urina.
Sollicitudo, timor, triſtitia, ſomnia tetra.
Coaceſcunt ructus, ſapor, & ſputaminis idem,
Levaque præcipue tinnit, vel ſibilat auris.

Rhazes lib. 2. cap. 22. ad Almanſ. & Avicenna 2. 1. doct. 3. cap. 7.

C A P. XCIII.

De Phlebotomia, ac primo quidem, de aetate phlebotomiae.

DEnus ſeptenus vix, phlebotomon petit annus.
Spiritus, uberiorque exit per phlebotomiam,
Spiritus ex potu vini, mox multiplicatur,
Humorumque, cibo, damnum lente paratur.
Lumina clarificat, ſyncerat phlebotomia
Mentes, & cerebrum, calidas facit eſſe medullas.
Viſcera purgabit, ſtomachum, ventremque coercet.
Puros dat ſenſus, dat ſomnum, tædia tollit.
Auditus, vocem, vires producit, & auget.

De venæ ſectione, quam φλεβοτομίαν Græci vocant, jam agitur: Ac primo quidem, huic rei accommodata oſtenditur ætas, annus nimirum decimus ſeptimus, vel ut aliis placet, decimuſquartus: Pueris namque, uſque ad quartum decimum ætatis annum, ſanguis mittendus non eſt. (1) Carnem enim habent teneram, & facile perſpirabilem. Quod Galenus lib: 9. cap. 17. method. med. iis teſtatur verbis. Puerorum, inquit, ſubſtantia omnium facillime digeritur, ac diſſipatur. propterea quod, eſt omnium humidiſſima, & nulla

---

¶ (1) *Hæc antiquorum regula de ſanguinis miſſione, nequit ſemper obſervari, cum, utplurimum in puerili ætate, urgentibus morbi ſympthomatibus, præſertim in variolis, & morbillis, pluries, ſanguis mittendus ſit, etiam cum felici ſucceſſu. Neque verum eſt, Pueros plurimum perſpirare, qui, cum non adhuc ad ætatis conſiſtentiam pervenerint, carne molliori, & nimis debili vaſorum textura conſtant, quæ uberrimæ perſpirationi opponuntur; Inſuper, quia nimia humiditate abundant, etiam parum perſpirant, quæ omnia, pletoram intendunt, & fortaſſe cacochimiam. Vid. Tom. 3. Prælect. academ. Boerhaav. pag.* 307 §. 430. Efficiunt, conſervant, augent, & reſtituunt hanc, viſcera, vaſa, fibræ robuſtæ &c. *Et pag.* 315. *dictione* [*cauſa*] Summa humorum attenuatio, vaſorum perfecta per omnes ordines meabilitas, cor, & vis vitæ, quæ humores attenuatos per meabilia vaſa expellet.

frigidior, hoc eſt minime frigida. Quo, minus vacuantis præſidii eget, quum habeat ex ſeipſa, unde naturaliter vacuetur. Idem etiam lib. II. cap. 14. ejuſdem operis de ſynocho loquens, confirmat. Si in puerum incidat, qui quartumdecimum annum hactenus non attigit, mitti illi ſanguis non debebit, propterea quod tantillis, cum præſertim calidi, ac humidi ſint, plurimum corporis ſubſtantiæ quotidie defluat, ac digeratur. Ita quod, ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, id ultro nobis, ex curandi corporis natura præſtatur. Quamquam Avenzoarus memoriæ dederit, ſe filiolo trimo venam diſſecuiſſe; atque hunc a morte, tali remedio liberaſſe. Quod ſi corpus, decimumquartum annum exceſſerit, æſtimandum eſt, qualiſnam ejus natura ſit; num gracilis, & ſpiſſa; & dura, & copioſi ſanguinis, an contra: Atque ita, in priori, miſſionem ſanguinis adhibebis: in ſecunda nequaquam. Senibus quoque poſt ſeptuageſimum annum, ſi multi ſanguinis fuerint, vireſque robuſtas habuerint, ac morbus ita jubeat, venam ſecabis. [2] Quod ſi in hac ætate conſtitutis, vires parum validæ ſint, & ſanguine non admodum abundent, in totum,

---

¶ (2) *In ſenibus vero, quoad ſanguinis miſſionem, caute nimis eſt procedendum: Corpus enim ætate effetum, difficile acquirit, quod per imprudentem phlebotomiam perditum eſt; præterea in illis, vires ſolidorum, fluidorum viribus multum prævalent.*

ab hujuſmodi evacuatione arcendi ſunt. In his enim cum, Galeno lib. 4. cap. 10. de ſanitat. tuend. teſte, ſanguis bonus, exiguus ſit, crudi vero humores plurimi; inciſa vena, bonum ſanguinem emittit: malum vero; qui, in primis maxime venis circa jecur, & quod meſenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus.

Secundo loco unicum innuitur ex phlebotomia incommodum: nempe quod uberior per ipſam exhaletur ſpiritus. [3] Quod certe Galenus in libello de ſcarificatione; iis oſtendit verbis: Venam incidere ſæpe in anno; minime commodum puto. Nam una cum multo ſanguine, vitalis ſpiritus excernitur. Hoc autem frequentius conſumpto, & tota corporis moles perfrigeratur, & omnia animalia opera pejus fiunt. Frequentior igi-

---

¶ (3) *Sanguis nil continet, quod evolare poſſit; quia neque alkali, neque ſpiritu præſtat. Quod enim a calente ſanguine, de vena educto, evaporat, eſt tenuiſſima lymphæ pars, quo refrigerato, vapor ceſſat extemplo. In ſtatu pletorico omnes humorum ſequeſtrationes intercipiuntur; & fortaſſe etiam ſpiritus nervei; nam vaſa ſanguifera nimis diſtracta, minima lymphatica, ita clauduntur, ut neque liquidi guttam admittere poſſint; imminuto ſanguinis volumine, per phlebotomiam, augetur circulatio; vaſa liberiora facta, promptius micant, & omnes humores æque facile perficiuntur. Vid. Prælect. Academ. Boeohaav. Tom. 6. pag.* 340. *n.* 9. Circuitum, ſecretionem, excretionem promovet.

tur venæ ſectio, maturam ſenectam, & hanc morbis gravioribus obnoxiam reddit. Cujuſmodi ſunt cachexia, hydrops, arthritis, tremor, paralyſis, & apoplexia. Impenſius enim refrigerato nativo calore, humidoque primigenio imminuto, viſcera langueſcunt, cruditas dominatur, quæ tot malorum cauſa fit, atque origo.

Tertio verſu, traditur remedium reparandorum ſpirituum, potus nimirum vini. Hoc enim, ex omnibus, celeriter, ac ſubito nutrientibus, velut ſupra cap. 8. & 11. oſtendimus, principem obtinet locum. Quin ex cibo quoque, ut quarto docetur verſu, ſpiritus recuperantur; ſed lente, hoc eſt, tardius. Ubi ſciendum cumprimis, quod exhibendus ſit a venæ ſectione cibus concoctu facilis, optimi ſucci, ac plurimi nutrimenti, velut ova ſorbilia, & ejuſmodi. [4] Eo, moderatius tamen, ut lib. 7. cap. 21. ad Almanſorem Rhazes præcipit, primo, ac ſecundo die utendum eſt quippe concoctoria facultas, ſanguinis eductione debilis, multum ſuperare cibum nequit. Hinc Iſaacus in diætis, ita ferme ſcriptum reliquit: Cibus ipſis minuendus, ſed potus augendus, reſpectu nimirum cibi, & non conſuetudinis: imo

¶ (4) *Temperamento debiliores a ſanguinis miſſione, facile animo deficiunt; aliquibus ſtomacus enervatur, & digeſtionis vires languent. Sanum ergo conſilium eſt, alimenta tenuia, & nutrientia ipſis concedere, ut vires reficiantur, & ſtomacus parum, aut nil gravetur.*

vero, quam ante phlebotomiam minus bibendum eſt, quod virtus concoctrix, debilior adhuc ſit, quam, ut copiam ejus ferat.

Quarto demum loco, undecim moderatæ, atque tempeſtivæ phlebotomiæ enumerantur commoda.

PRIMUM, quod viſus aciem roboret, clarioremque reddat; imminutis enim, & detractis per phlebotomiam humoribus, quorum effumatione, oculorum claritas obſcurabatur, viſus neceſſario roboratur, ac reficitur.

SECUNDUM, quod cerebrum expurget, integritatem menti reſtituat, & ingenii excitet aciem: idque conſimilem omnino ob cauſam.

TERTIUM, quod medullas excalefaciat: ſuperfluas namque humiditates, quarum confluxu infrigidabantur, abſumit.

QUARTUM, quod viſcera, id eſt, interiora expurget: levata namque, quæ corpus noſtrum regit natura, exonerataque ſanguine, quo velut ſarcina præmebatur, haud ægre, crudos, in interioribus detentos humores concoquit, & evincit.

QUINTUM, quod vomitus, & alvi profluvia cohibeat: [5] humores enim ab interioribus

---

¶ [5] *Quod eſſet rectæ rationi, & experientiæ oppoſitum: Nihilominus vidi Juvenem ſanguinei temperamenti, in maximo vigore conſtitutum, copioſa pinguedine, & carne dura, compacta, refertum, triginta circiter annorum, poſt unam, vel alteram horam a paſtu, abſque incomodo, ſponte vomere, omnia quæ ingererat. Multa cogitavi, varia præ-*

ad externas revellit partes. Hine ab Avicenna 4. 1. capite 20. ita ſcriptum eſt: Phlebotomia, propterea quod ad diverſum trahit, naturam ſecundum plurimum retinet. Ubi tamen ſilentio prætereundum non eſt, quod in alvi profluvio, cubiti vena incidenda veniat: ut quæ citiſſime conſpicuam nonnumquam adferat utilitatem: quod ſi contra ſeces, nempe in pede, nihil omnino profuerit. Accidit tamen aliquando, ut alvus, venæ ſectione, fluida magis fiat, idque duobus maxime modis. Uno quidem, quod naturæ onere per phlebotomiam ſublato, virtus roboretur, (6)

ſcripſi remedia roborantia, carminativa, ſed omnia incaſſum, niſi potius ab eorum uſu, vomitus citior & violentior prodiret. Tandem juſſi, ut continuo venam ſecaret, quo facto, non ſine magna admiratione, ceſſit per plurimos dies vomitus; neque rediit, niſi ipſa pletora iterum rediret, vaſa nimis turgida, optimo ſanguine repleta, ſtomaci tunicis quamdam rigiditatem conciliant; & majorem tenſionem, ac ſenſibilitatem nervis: unde ſtomacus nequit ampliari, ut alimenta continere, & digere poſſint. Hinc vix incepta digeſtione ſtomaci reviſus ita intenditur, ut brevi vomitus ſequatur.

¶ [6] *Non ſufficit ratio, niſi omnino ſit oppoſita ſupradictæ:* nempe quod uberior, per ipſam exhalet ſpiritus. *Vid. quæ dicta ſunt n. 3. Spiritibus enim diſſlatis, omnes Machinae, & omnia excretoria vaſa flacceſcunt: excretionibus imparia. Omnis enim ſanguinis miſſio præſcribitur, ut copia*

adeoque alias, haud raro incitet evacuationes. Altero vero, quando alvi profluvium oritur ex retentricis facultatis imbecillitate. Ea enim venæ ſectione augetur; quo fit, ut venter magis proritetur.

SEXTUM, quod ſenſus efficiat puriores, evaporationem enim ad caput, unde ſenſus turbantur (7) imminuit.

SEPTIMUM, quod immodicis conferat vigiliis: ſiquidem humorum exundantiam, unde acres ſubinde atque diverſi ſurſum feruntur fumi, ſomnumque impediunt, evacuat.

OCTAVUM, quod tædia, id eſt, nimiam

---

minuatur, motus, rarefactio. Vid. Tom. 6. Prælect. academ. Boerhaav. pag. 340. §. 1230. I. A copia nimia. II. A reſiſtentia nimia &c. III. A motu ſuffocato &c. *Quæ omnia, in Alvi fluxu prorſus deerunt; præſertim in chronicis, in quibus ſolida laxa ſunt, & humores deficiunt; in acutis vero, nervi, a maximo eretiſmo torquentur, vaſa arctantur, & contenti humores exprimuntur, quæ omnia per Phlebotomiam curari nequeunt, niſi morbi cauſa educta fuerit, aut ſaltem innocens evaſerit, per medicamenta temperantia, & diluentia.*

¶ (7) *Omnes capitis morbi, qui a pletora fiunt, uti vertigo, delirium, letargum, apoplexia, convulſio, per largam ſanguinis miſſionem curantur; ſecus vero a ſtomaci repletione, vel a quovis alia cauſa, extra caput exiſtente, uti de reliquis infra enunciatis, intelligendum eſt.*

corporis gravitatem, ſegnitiemque, ſive laſſitudinem tollat, levat namque, quæ corpus noſtrum regit naturam, exoneratque humorum multitudinem, quibus, velut onere quodam graviſſimo præmebatur. Melancholia quoque, quæ præcipua quædam tædiorum, ac gravitatum cauſa exiſtit atque origo, una cum ſanguine educitur, quippe fæx ejus eſt, & ſedimentum.

NONUM, quod audiendi difficúltatem corrigát: imminuit enim redundantiam humorum, unde, craſſi, ac flatuoſi ſurſum evecti ſpiritus, auditorios obturant meatus.

DECIMUM, quod voci conferat: ſubtrahit namque ſuperfluas humiditates, quibus vocalis arteria, immodice irrigata, raucas édebat voces.

UNDECIMUM, quod vires reficiat, augeatque, ſiquidem corpore, humorum, exonerato multitudine, vires recreantur, & augentur.

---

ardente, aliisque febrium ſympthomatibus, quocumque anni tempore, ætate, Cæli regione, ſanguis mittendus eſt, plus minusve, juxta ægri vires, morbi intenſitatem, aliaque ſimilia.

CAP.

CAP. XCIV.

Quibus mensibus conveniat, quibusve noceat phlebotomia.

TRes inſunt iſtis, Majus, September, Aprilis,
Et ſunt Lunares, ſunt velut Hydra dies:
Prima dies primi, poſtremaque poſteriorum,
Nec ſanguis minui, nec carnibus anſeris uti.
Sit ſenium, atque juventa licet, ſi ſanguis abundat,
Omni menſe probe confert inciſio venæ.
Hi ſunt tres menſes, Majus, September, Aprilis,
In quibus eminuas, ut longo tempore vivas.

Tria hoc in loco traduntur.

AC PRIMUM, quidem, quod tres menſes ſint lunares, nempe Majus, Aprilis, & September, ipſiſque dies quidam inſint, quibus venam incidere nefas habeatur. Maii ſcilicet primus, & reliquorum trigeſimus. Idque, vulgo quidem ita

creditur, cum revera fictum, atque a veritate alienum ſit. Siquidem, & his ipſis diebus, modo conſtellatio non deterreat, venam ſecare nihil impedit. Vanum item, ac errore plenum, & quod de anſerum eſu ſubjungitur, magiſque ſortilegio tribuendum, vel tractum forte a Judæorum conſuetudine.

SECUNDUM, quod ſenibus, æque, atque juvenibus, ſingulo quoque menſe, modo in venis ſanguis abundet, ac morbus ita jubeat, ſanguinem ſubtrahere fas ſit: ut in quibus, non facile digeratur, diſſipeturque ſubſtantia, & boni ſanguinis adſit copia.

TERTIUM, quod phlebotomia, pro conſervanda ſanitate, adminiſtranda ſit, in aliquo horum trium menſium: [1] in Aprili ſcilicet, aut Majo, aut Septembri, differenter tamen. In Aprili enim, ac Majo, jecoraria incidenda venit, ob exundantem, nimirum, ſanguinis copiam: eſt enim

---

¶ (1) *Invaluit mos apud nonnullos, ſanguinem mittere, ineunte Vere, & Autumno ad præſervationem, necnon corpus a ſuperfluis humoribus purgare, vel quia revera ipſa neceſſitas poſtulat, vel quia meticuloſi formidant, ſe in morbos facile lapſuros advenientibus anni mutationibus. Cæterum, urgente neceſſitate, in maximis doloribus, in febre ardente, aliiſque febrium ſymptomatibus, quocumque anni tempore, ætate, Cœli Regione, ſanguis mittendus eſt, plus, minuſve juxta ægri vires, morbi intenſitatem, aliaque ſimilia.*

tempus vernum. In Septembri vero, lieraris: ſiquidem per id tempus, cum ſit autumnale, atra bilis, nonnullis, plus cæteris colligitur.

C A P. XCV.

De impedimentis phlebotomiae.

FRigida natura, & frigens regio, dolor ingens,
Balnea poſt coitum, minor ætas, atque ſenilis.
Morbus prolixus, potus repletio, & eſcæ.
Si fragilis, vel ſubtilis ſenſus ſtomachi ſit.
Et faſtidit tibi, non ſunt phlebotomandi.

Duodecim hic recenſentur impedimenta phlebotomiæ.

PRIMUM, frigida hominis natura: (1) quip-

¶ (1) *Phlegmatici, quorum ſigna apud Boerhaav. Vid. cap. 90. num. 1. numquam morbis inflammatoriis, aut raro, adficiuntur; multo minus pletoram ferre ſolent; ita enim eorum machinæ, quæ ſanguificationi inſervire debent, debiles ſunt, ut chylum in lympham inertem potius, quam in*

pe quæ, venæ ſectione augeatur. Fundamentum enim caloris innati ſanguis eſt: hoc igitur per phlebotomiam imminuto, & calorem innatum imminui, totumque corpus graviter refrigerari, neceſſe eſt. Galeno cap. 6. de curan. rat. per ſan. miſſio.

SECUNDUM, regio impenſe frigida. Hæc enim largam vacuationem, qualis phlebotomia eſt, haud ſuſtinet: quod corpus, detracto cum ſanguine, nativo calore, ſatis antea refrigeratum, magis ſubinde refrigeret. [2] Præterea, nec calida

---

ſanguinem convertant: Hinc vaſa ſanguifera anguſtiſſima habent; lymphatica vero ſatis ampla, & facile tument; a frigore nempe, motu nimio, indigeſtione, aliiſque; nam vix in illis intenditur circulatio, quam omnes humores ad cutem confluunt, ubi propter impeditam perſpirationem, ſtagnant, vel abeunt in ſudorem.

¶ (2) *In frigida tempeſtate perſpiratio inſenſibilis augetur, Vid. pag.* 125 *n.* 5. *quæ ſubtiliorem humorum partem conſumit; reliqua vero magis, magisque denſatur. Idem frigus inſuper, ſanguini, & reliquis humoribus majorem cohæſionem infert, quæ immeabilitatem, & pletoram facit, per phlebotomiam illico tollendam, quamprimum ejus ſigna apparuerint. Vid. prælect. acad. Boerhaav. Tom.* 6. *pag.* 341. §. 1230. *n.* 5. *A* ſanguine nimium denſato. 6. Ab eodem nimis coeunte, 7. aut nimium inſpiſſato &c. *Quæ omnia ſanguinis miſſionem indicant.*

nimis regio venæ ſectionem tolerat: quod, ſua caliditate, vires diſſolvat, ac humores diſcutiat. Tempus etiam anni in mittendo ſanguine expendendum, num ſcilicet calidum ſit, aut frigidum. In frigido enim tempore corpus refrigeratur, ideoque ſanguinis miſſionem impedit. Quid enim attinet, corpus antea abunde ſatis refrigeratum, ſanguinis detractione magis refrigerare? In calido tempore, improbe vacuati, ſyncope, & reſolutione intereunt. Quippe calor ambientis, e corpore foras evocatum ſpiritum digerit, reſiccatque corporis habitum, & imbecilliorem reddit. Quocirca tum omnino a ſanguinis miſſione abſtinendum erit. Quod Galenus lib. 11. cap. 14. method. medend. iis verbis confirmat. Et omnino quidem non mittes in tempore æſtatis, (3) & regione æſtuoſa, & cœli ſtatu calido, ac ſicco. Proinde eadem eſt temporis, quæ regionis conditio.

TERTIUM, dolor ingens: ſub quo, & ni-

¶ [3] *In æſtate vero, quoad Phlebotomiam, præcipue in morbis corruptoriis, ſumma indigemus cautione: eo namque tempore. ob nimium calorem, humores ad reſolutionem vergunt, unde excretiones copioſiores, alvi nempe, & ſudoris, quæ pletoram minuunt, & vires proſternunt, per cardiaca tantum, & roborantia reparandas. Hinc in morbi principio, ſympthomatibus urgentibus, venam ſecare expedit; adulto vero morbo, non ſine magna neceſſitate ſanguis mittendus eſt.*

mia corporis inflammatio comprehenditur. In his enim ſecta vena multam ſeditionem, & agitationem in humoribus excitat: phlebotomia nimirum attrahente, ac vacuante humores, dolore vero, atque inflammatione contranitentibus, atque rapientibus. [4] Siquidem dolor omnis, & calor, attrahunt, influxumque humorum efficiunt, quo fit: ut inflammatio augeatur, & natura magis debilitetur. Et hoc quidem, ubi temperatior, & artificialis fuerit phlebotomia. Si vero acervatim, vel ad animi deliquium uſque fiat, in præ-

¶ [4] *Quæcumque inflammatio, ſive vera, ſive notha fieri nequit, ſine dolore, calore, & tumore, licet non ſemper apparente, ſimiliter ſine adfluxu ſanguinis, ſeri, lymphæ ad partem adfectam, vaſa diſtrahente, vel a quavis alia materia craſſa, inflammatoria, lenteſcente, vel quomodolibet peccante. His ergo poſitis; ſanguinis miſſio adfluxum revellit, tollit, vel minuit ſaltem obſtacula; calorem refrigerat; circulationem promovet; lentorem diluit: Non ergo verum eſt, Phlebotomiam, tot, tantaſque turbas excitare, & inflammationem augere, cum virium jactura: quod ſi a diſcreta, & prudenti ſanguinis miſſione hoc timeri poteſt, multo pejora mala expectanda erunt a nimis profuſa, & ultra virium tolerantiam, jam facta Vid. Prælect. acad. Boerhaav. pag. 340. §. 1229. dictione* (miras) Dantur enim homines, qui vix, uncia ſanguinis emiſſa, animo lingunt, & ſæpe, malum a Phlebotomia augeri experiuntur &c.

dictis caſibus, plurimum adfert emolumenti. Quippe hoc præſidio, ferventis ſanguinis copia in maximis inflammationibus educitur, & laborans phlegmone pars, refrigeratur. In vehementiſſimis autem doloribus; ideo ſanguinis miſſio confert, quod ſanguinis confluxum, dolorem reſcindendo, inhibet. Accedit, quod excretoria facultas, cauſam, dolorem excitantem ejicere properans, phlegmonem interdum excitet. Quum enim primis ſuis conatibus nihil profecit, vehementius aggreſſa, quod infeſtat, expellere, ſanguinis aliquid ex ſuperpoſitis partibus, in affl.ctam ſimul exprimit, ut copioſe lib. 13. methodi medendi cap. 3. Galenus oſtendit. Quapropter ne id accidat, ſanguinem mittere expedit. Et hæc fuit intentio Galeni comment. 32. lib. 1. aphoriſ. ubi ſic ſcriptum reliquit: In ardentiſſimis febribus, ſi uſque ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur. In maximis vero doloribus, nullum majus novi remedium, quam uſque ad animi defectionem evacuare. Lege plura apud eumdem lib. 9. method. med. cap. 4. & in lib. de curand. rat. per ſanguin. miſſionem cap. 11. & Leonhartum Fuchſium cap. 28. methodi perveniendi ad medicinam.

QUARTUM, balneum: & maxime quidem διαφορητικόν, id eſt, reſolutivum. Hoc enim, cum Galeno in libro de utilitate reſpirationis cap. 7. teſte, ſpiritus ex toto corpore evacuet, 5)

¶ (5) *Balnea frigida, quia in omnibus vaſis*

adeoque vires debilitet, phlebotomiam impedit. Nam plurimum, & repente evacuare periculoſum eſt, inquit Hippocrates ſect. 2. aphoriſ. 51.

QUINTUM, coitus, poſt quem prohibetur inciſio venæ, quod is, corpus jam plus æquo excalefecerit, vires dejecerit, ac debilitarit. Porro quonam modo Venere vires diſſolvantur, diſerte admodum Galenus lib. 1. de ſemin. capite 25. iis demonſtrat verbis: Circa tempus, inquit:

---

validius momentum excitant, quamplurimas excretiones uberiores producunt, & non ſolum excrementitios humores, verum aliquando etiam alimentitios expellunt, cum virium jactura; ſaltem primam digeſtionem ita citiſſime expediunt, ut dira fames inde ſequatur. Hinc in adpetitu remiſſo, & ſtomaci languore, omnes Medici, balnea frigida præcipiunt, felici cum ſucceſſu. Vide pagina 50. *Tom. prim. numero* 11. *Ipſa inſuper Pletora ad vaſa, per balnea frigida feliciter curari poteſt, quia uno eodemque tempore, majus robur vaſis omnibus conciliatur. & ſanguinis æſtus, ejuſque globulorum adaucta elaſticitas, remittitur. Idem de Pletora ad vires verificari poteſt; quando nempe obſtaculum movendum, ſive ſanguis, potentia movente, ſive corde, majus fit: nam adaucta perſpiratione, & fortaſſe, reliquis excretionibus, ſanguinis circulatio expeditior ſequitur; & reſiſtentia imminuta, cordis potentia major evadit. Cæterum accedente neceſſitate, balneum, ſanguinis miſſioni nullo modo obſtare poterit.*

concubitus, teſtes ex venis ſeminarium humorem, quantum ejus in ipſis continetur, trahunt. Eſt autem modicus hic, & ad roris ſimilitudinem ſanguini admixtus: hujuſmodi autem illæ opus habent. Violenter igitur eo, per teſticulos, utpote potentiori facultate præditos, quam venæ ſunt, detracto, venæ ipſe rurſus a ſuprapoſitis revellunt, hæ vero rurſus, ab his, quæ deinceps ſitæ ſunt, deinde hæ rurſus a vicinis: atque hoc fieri non ceſſat, donec ad omnem corporis particulam tranſumptio perveniat, adeo ut, omnes totius animalis partes, proprio alimento evacuentur. (6) Revellit enim ſemper id, quod perfecte eſt evacuatum, ab eo, quod plus habet, velut violente eripiens. Hoc igitur quum ſemper fiat, & omnia, velut in choro, inter ſe mutuo participent, in tantum ſane omia vaſa, ac partes totius animalis evacuari neceſſe eſt, donec fortiſſima, ex omnibus, pars expleatur. Neque vero ſolam ſeminariam humiditatem ab omnibus animalis partibus auferri continget hoc tempore; ſed etiam ſpirttum vitalem. Nam, & hic ex arteriis, una cum ſeminali humiditate evacuatur. Quare nihil mirum eſt

---

¶ (6) *Coitus continuus, & immoderatus omnes vires exhaurit, & enervat, nam maxima ſucci nervei quantitas conſumitur, & reliquis functionibus peragendis uſurpatur. Vid. pag. 18. n. 1. Tom. 1. Adoriuntur ergo morbi a neceſſarii defectu, qui per Phlebotomiam curari non poſſunt, niſi prius reſtituatur corpori, quod perditum eſt.*

immodefato coitu utentes, imbecilliores reddi; a toto corpore, utroque ſynceriſſimo ablato, accedente inſuper voluptate, quæ ipſa per ſe ſufficiens eſt vitalem firmitatem diſſolvere, adeo ut jam, quoſdam ex nimia voluptate, ac jucunditate mortuos eſſe conſtet. Quæ omnia Marſilius Ficinus lib. 1. de ſanitate tuend. cap. 7. iis etiam confirmat verbis. Venereus, inquit, coitus, ſi vel paululum vires exceſſerit, ſubito exhaurit: ſpiritus præſertim ſubtiliores, cerebrumque debilitat: labefactat ſtomachum, atque præcordia, quo malo, nihil ingenio adverſius eſſe poteſt. Cur nam Hippocrates coitum, comitiali morbo ſimllem judicavit? niſi quia mentem, quæ ſacra eſt, percellit, tantumque obeſt, ut Avicenna in libro de animalibus dixerit: Si quid ſpermatis ſupra quam natura toleret, coitu profluat, obeſſe magis, quam ſi quadragies tantumdem ſanguinis emanarit, ut non injuria priſci, Muſas, atque Minervam virgines eſſe voluerint. Plura de hoc lege apud Galenum cap. 86. artis medicinalis. Paulum Aeginet. lib. 1. cap. 35. & Aetium lib. 3. cap. 8.

SEXTUM, ætas, vel major, vel minor, quam phlebotomia requirit: qualis eſt infantiæ, & ſenii. Horum omnium meminit Avicenna 4. 1. cap. 20. in eum ferme modum ſcribens: Cavere debes a venæ lectione in complexione vehementis frigiditatis, & in regionibus fortis frigiditatis, & in hora fortis doloris, & poſt balneum reſolutivum, & poſt coitum, & in ætate, quæ eſt minor. 14. annis, quanto plus poteris, & in

ætate ſenum, quanto magis poteris; niſi in figurá confiſus fueris, & in ſoliditate muſculorum, & venarum amplitudine, & earum repletione, & colorum rubedine: hos namque ex adoleſcentibus, & ſenibus phlebotomare audebis. Adoleſcéntes tamen, ſecundum ordinem, ad phlebotomandum paulatim provehere debes, cum pauca minutione.

SEPTIMUM, morbus prolixus: virtus enim, temporis tractu exoluta, non tolerat venæ ſectionem, ut quæ a morbo, plus ſatis jam debilitata, phlebotomia facile exhauriretur: (7) Galenus de curand. rat. per ſang. miſs. cap. 20. idem Avicenna etiam loco citato confirmat. In corporibus, inquiens, quæ prolixas perpeſſa ſunt ægritudines, abſtinendum a venæ ſectione, niſi ſanguinis affuerit corruptio, quæ ad hoc te perducat, quoniam, tunc ſanguinis ſubtractione uteris.

OCTAVUM, nimia potus repletio.

NONUM, largior cibi ingeſtio: [8] ſub qua in-

¶ (7) *Phlebotomia, ſanguinis nimiam quantitatem reſpicit, morboſque omnes, ab ea enatos; concitatam nimis circulationem, adauctam reſiſtentiam a ſanguinis denſitate. In morbis chronicis hæc omnia deſunt, imo ex adverſo lenta cacochimia in culpa eſt, quæ per ſanguinis miſſionem curari nequit, verum per Medicamenta roborantia, quæ languentibus naturæ facultatibus ſubveniunt; & bonum ſanguinem reproducunt.*

¶ [8] *Ad digeſtionem multa quidem requiruntur. Vid. pag.* 170. *n.* 32. *pag.* 102. *n.* 2, *inter*

concoctio, ſive cruditas etiam comprehenditur: cauſa horum omnium eſt, ut ex Avicenna 1. 1. doct. 6. cap. 3. colligitur; quod tria ſint materiam attrahentia, loca ſcilicet inanita, membrorum caliditas, ac totius corporis habitus. Sanguis igitur, ſi ſic affectis mitteretur, venæ proprio, & commodo deſtitutæ nutrimento, quod nondum in ventriculo, ac hepate concoctum eſt, attraherent. Hoc itaque in membra raptum, non corrigeretur, Siquidem tertia concoctio, ut Galenus auctor eſt, non emendat erratum ſecundæ, nec ſecunda primæ. Atque interim excrementorum copiam in corpore, ac inde tamdem ægritudines provenire neceſſe eſt. Tanto igitur tempore differenda eſt phlebotomia, quantum ſatisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum, ut excrementa deſcendant, videbitur.

Præſtiterit tamen in intemperantibus, vinoſiſque, ac ventri, gulæque deditis, ut cap. 6. lib. de curand. rat. per ſang. miſs. Galeno viſum eſt, a venæ ſectione in totum abſtinere: (9) ut quos

---

quæ, non ultimum tenent locum, omnium vaſorum oſcillationes, & vis periſtaltica: hæc enim augetur, adaucta in ventriculo reſiſtentia, quam ſi per Phlæbotomiam eo tempore imminuas, turbabitur digeſtio, & ſequeretur cruditas. Verum dabitur caſus, qui aliquando ſanguinem mittere expoſcit; adventus namque morbi convulſivi, aut intenſiſſimi doloris, & tunc urgentiori eſt attendendum.

¶ (9) *Inter Plethoræ cauſam, nimia voracitas;*

neque purgatione, neque ſanguinis miſſione magnopere adjuveris. Nam per vitæ intemperantiam, crudorum humorum copiam ociſſime colligunt: verum his, ne manum quidem admovere tentandum eſt. Quorſum enim attinet, apud vulgum, infamare præſidia, quæ multis fuere ſalutis? Galenus lib. 11. cap. 9. method. medend.

DECIMUM, fragilitas, id eſt, debilitas virtutis: quippe, ſanguine miſſo, virtus ſemper iis extreme concidit, nec poſtea revocari, colligique poteſt. Galeno cap. 6. de curand. rat. per ſang. miſs. & lib. 21. cap. 14. method. medend:

UNDECIMUM, os ventriculi ſupra modum ſenſile: ſub quo imbecillum etiam comprehenditur, & quod amara bili redundat: ob hoc enim multi in venæ ſectione, ante juſtam vacuationem, per initia, ſtatim animo deſtituuntur (10).

& optima digeſtio culpari poteſt, quæ maximam alimoniæ quantitatem introducit, & ſanguinem auget, per Phlebotomiam minuendum. Vid. Tom. 6. Prælect. acad. Boerhaav. pag. 341, dictione [æſtate] Qui pleno victu utuntur facilius ferunt, quam ſobrii. *Si vero ab erroribus in victu, cacochimia adoriatur, ut in morbis chronicis, tunc ſanguinem mittere, idem eſſet, ac morbum intenſiorem facere. Vid. Prælect. acad. Boerhaav. pag. 343* §. 1233. Vetatur I. a plurimis chronicis, in quibus plurima obſtructa, paucuſque admodum fluidus cruor, vaſis reſtat.

¶ [10] *Graciles, Phlegmatici, imbecilles, ſub ſan-*

Porro os ventriculi, magno ſenſu præditum eſſe, ex eo maxime conjicitur, inquit Avicenna, quod acria, mordaciaque, citra offenſionem non facile tranſglutiat. Imbecillitatem arguit, dejecta cibi, potuſque adpetentia. Amaræ vero bilis redundantiam, oris amaritudo, nauſeæque perſeverantes, & bilis frequentiores vomitus oſtendunt. Hæ itaque indicationes, a ſanguinis ſubtractione dehortantur. Siquidem humores, venæ ſectione exagitati, ſic affectis, ad os ventriculi, haud raro, ceu ad conſuetum locum confluunt; ſed cum id membrum, debilius jam ſit, quam ut tali humorum confluxui reſiſtat, multa omnino, ſanguinis miſſione, contrahunt mala. Et hæc una cauſa eſt, cur multi ex ipſis, animo linquantur. Bilis namque in ſtomachum refuſa, morſu ſuo, cor nonnumquam ac cerebrum εἰς συμπάθειαν id eſt, conſenſum, trahit, ſyncopemque parit, quandoque

---

guinis miſſione facile animo deficiunt; & non raro etiam convelluntur. Dum enim ſanguis a vena egreditur, motus centrum invertitur fere, a corde nempe ad illam partem, a qua ſanguis effluit, & redit ad cor minor quantitas per venas, quam per arterias diſcedit: Hinc gradatim ſanguinis refluxus ad dexterum cordis ventriculum minuitur, mox vero ad ſiniſtrum, tandem per arterias charotides ad caput, ſimiliter adfluxus ſucci nervei ad partes, qui non æquabili motu, ſed irregulariter fertur, unde convulſio, tremores, & vomitus. Vid. pag. 90. 91, n. 2., & 3. T. I. ubi plura &c.

vero ſubitam etiam adfert mortem. Galenus lib. 9. cap. 5. method. medend. & Avicenna loco citato.

DUODECIMUM, nauſea: in hac enim, ſi ſanguis mitteretur, venæ exhauſtæ, pravam illam, ac nauſeoſam, ad ſe facile attraherent materiam. Neque ob dictas ſolum cauſas; ſed ob alias etiam non paucas, a phlebotomia interdum abſtinemus.

Ac primo quidem ob αἱμοῤῥοΐδων menſiumque. Quod certe Galenus lib. 9. cap. 5. method. medend. iis innuere verbis voluit: Si tempore, inquit, mittendi ſanguinis, menſes moveri contigerit, ſive etiam hæmorrhois ſit recluſa, ſi inſpecto fluentis impetu, ipſe ſatis fore videbitur qui ſolus, quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes: ſin minus, tantum ipſe detrahes, quo ex conjunctis ambobus perficiatur, quod poſtulas. Nonnunquam tamen, revulſionis etiam cauſa in immodicis ſanguinis e naribus, utero, (11)

¶ [11] *In Uteri hæmorrhagia, non ſemper æque fœliciter ſanguis, a brachii vena emiſſus proficere videtur, niſi aliquando, per eam vaſa magis flacceſcant, & ſanguis adfluentius prodeat. Potius per cucurbitas ſimplices, Mammis admotas, enormis hic exitus ſiſtitur. Jam enim conſtat ex Anatome, arterias hypogaſtricas, nonnullos ramulos. Utero impartiri, alios vero mammis, unde facto motus centro ad illas, per inanes cucurbitas, ſanguis illuc adfluit, & arteriæ uterinæ, aliquantulum exinanitæ clauduntur. Expedit quoque artus ſuperio-*

ſede, aut thorace, eruptionibus, venæ ſectione ci-tiſſime conſpicuam adfert utilitatem. Deinde ob corporeæ conſtitutionis raritatem, hoc eſt, humidam, calidamque temperaturam. Ejus enim ſubſtantia celerrime in ambientem diſſipatur, alias in halitum ſenſibilem, alias in perſpirationes quæ viſum fugiunt; ſed ratione deprehendantur. Itaque etiam hujus cauſa, aut prorſus venam non ſecabimus, aut parum detrahemus. Galen. lib. 9. cap. 17. method. medend.

Tertio, ob lentorem, ac cruditatem humorum: Hæc enim, venæ ſectione, augentur. Unde in diutinis morbis, ſanguinis miſſione utendum non eſt: ne cruditas ſcilicet augeatur, virtus debilitetur, & morbus eouſque producatur, ut nequaquam poſtea curari queas. Hinc præcipit Avicenna, ut in morbis chronicis, pharmacia, venæ ſectioni præmittatur, & non contra, licet utraque opus habeant ægrotantes.

Cruditas porro humorum, duabus potiſſimum de cauſis accidere ſolet. Primum quidem, ob aggravantem humorum copiam: quæ innatum calorem, velut ſuffocando, in tantum debilitat, ut ipſos, evincere poſtea nequeat. Et in hac, phlebotomia uti licet, quemadmodum idipſum Alexander Trallianus lib. 9. cap. 2. in curatione Anaſarcæ, iis confirmat verbis. Omnium curatio a

res, & inferiores fortiter alligare, ut ſanguis inter ligaturas, & extremitates detentus, minori quantitate ad uterum fluat.

vacua-

vacuatione incipienda eſt; ſed Aſcitis quidem dicti, aut Tympaniæ, a ſola purgatione. Cui autem Anaſarca nomen eſt, ea venæ ſectionem interdum requirit, ut quæ, ex ſanguine frigido naſcatur. Ac frigiditatis quidem ratione, illa non indiget; ſed quoniam copiæ detractio naturam levat, ut hæc, minorem illam effectam, facile ſuperet, non alienum; ſed rationi conſentaneum eſt, hic quoque venæ ſectione uti. Videmus enim, quod etiam ignis externus, cum a lignis viridibus propemodum extinguitur, refocillatur rurſus, ſi illa, quæ ipſum ſuffocabant, auferantur. Deinde vero, ob caloris innati debilitatem, ut in hominibus frigidæ naturæ, quales, a diutino morbo convaleſcentes cumprimis ſunt, & ſenes: his phlebotomia ex uſu non eſt. Subtracto enim ſanguine, qui fomes nativi caloris, ac vitæ theſaurus eſt, neceſſe eſt, ut corpus vehementius refrigeretur, humorumque cruditas augeatur. Sanguis igitur ipſis, ut humores concoquat, & evincat, relinquendus eſt. Quinetiam poſt χολεραν diutinos vomitus, διαῤῥοιαν inediam, vigilias, labores vehementiores, & uno verbo, poſt omnia, quæ corpus impenſius calefaciunt, exſiccantque, ac vires diſſolvunt, a venæ ſectione abſtinendum, ut copioſe admodum docet Rhazes lib. 6. cap. 11. ad Almanſ.

CAP. CXVI.

QUAE, CIRCA VENAE SECTIONEM, OBSERVANDA.

HAec facienda tibi, quando vis phlebotomari,
Vel quando minuis, fueris, vel quando minutus.
Unctio, ſive lavacrum, & potus, faſcia, motus,
Debent, non fragili tibi, ſingula, mente teneri.

Quinque in ſanguinis miſſione obſervanda eſſe, hoc loco traditur: & ex ipſis, alia quidem prius, quam vena tundatur, quædam interea, dum ſanguis emittitur, nonnulla vero, eo jam ſubtracto. PRIMUM, unctio: (1) alias enim, membrum

¶ [1] *Aliquando in hominibus, propter duram corporis compagem, vulnuſculi labia, ita arcte cohærent, ut ſanguini eſitum omnino impediant, oleo vero illinita, continuo flacceſcunt, unde ſanguis proſilire videtur. In Mulieribus vero, raro accidit, vel tantummodo, quando vulnus nimis anguſtum eſt.*

incidendæ venæ, oleo irrigatum fricamus, ut tepore ejus, ſanguis reddatur fluxilis: Interdum ipſi etiam φλεβοτόμῳ, ſive ſcalpello, olei nonnihil allinimus, ut inflictum dolorem mitiget. Quandoque vero, & vulneri, olei cujuſpiam parum illinimus, quo nimirum, cicatrix tardius obducatur, humoreſque in venis relicti liberius expirent, & mali fumi diſcutiantur.

SECUNDUM, potus: & præcipue quidem vini. Hoc enim, cum in ipſa ſectione, ſi ſyncope obvenerit, tum poſt eam etiam; ad boni ſanguinis generationem, ſpirituumque recuperationem convenientiſſime exhibetur. (2) Supra cap. 8. & 10.

TERTIUM, lavacrum, id eſt, balneum, quo certe per biduum, aut triduum, ante, & poſt ſanguinis miſſionem, uti conceditur, nequaquam vero eodem die. Ante quidem, in illis, quos, craſſorum humorum copia aggravari ſuſpicio eſt: hos enim balneum incidit, mobileſque facit, ob eamdem etiam cauſam, paululum dimoveri ante phlebotomiam convenit, & aſſumere nonnihil ſyrupi acetoſi. Eodem quoque tempore, membrum inci-

¶ (2) *In debilioribus. Vid. n. 10. capit. antec. tantillum vini generoſi potandum conceditur, ad ſyncopen evitandam; vel ſaltem expedit, ut vini ſpiritum, ore, & naribus attrahant, aut quodvis ferculum comedant, & corpus quomodolibet agitent; nam per motum muſcularem, facilior ſequitur ſanguinis regreſſus ad Cor.*

dendæ venæ fricandum eſt, ut humores, e propinquis venis, ad locum ſectioni deſtinatum alliciantur, & ad exitum properent. Poſt vero, emiſſionem ſanguinis, valet ad humorum, vaporumque reliquias diſcutiendas. Verum eo ſuperſedere in ipſo die oportet: cutem enim nimis reddit mollem, quo fit, ut plagæ facillime cedat, quod non eſt citra periculum.

QUARTUM, faſciæ, hoc eſt, ligaturæ, ex pannis ſcilicet lineis, eaſque, tam ante, quam poſt venæ ſectionem adminiſtrari oportet. Ante quidem, & ut inde venæ incraſſeſcant, conſpicuæque magis fiant, & ut humores, ad conſtitutum incifioni locum, facilius prolectentur. Poſt vero, ad ſiſtendum, reprimendumque fluxum.

QUINTUM, motio, ſive inambulatio; moderata nimirum, ac tranquilla: eaque, & ante, & poſt venæ, incifionem, uti convenit: ante quidem, ut humores diſſolvantur, extenuenturque poſt vero, ad diſſipandas humorum reliquias.

Ea hodie apud vulgum invaluit conſuetudo, ut, venæ jejuno fere, ac vacuo incidantur ſtomacho; ſed hoc ipſum doctoribus quibuſdam minus probatur, ut quibus conducibilius eſſe videatur, ut ovum molliculum, ſive ſorbile, cum hauſtulo vini prius exhibeatur, idque circiter horam nonam, vel decimam ante meridiem, ac confeſtim deinde vena incidatur: Natura enim, ſtomacho exiſtente vacuo, ne alimento deſtituatur, ſanguinem pertinaciſſime retinet. Contra vero, pauculo, eoque exigua mole plurimum nutriente, (cujuſmodi vinum, & ova ſorbilia cumprimis ha-

bentur,) ingeſto cibo, eumdem facillime exire patitur.

Porro, quod ad diei, in quo fit venæ ſectio, tempus attinet, ſciendum, ſanguini mittendo, convenire maxime tempus matutinum, ſic tamen ut non protinus excitis e ſomno; ſed horam unam antea vigilantibus, vena ſecetur. Quibuſdam etiam poſteaquam rerum ſolitarum quidpiam objerunt, ſive in ludo literario, ſive in officinis, ſive in foro, ſive in ædibus, ſanguinem auferre expedit. Aegris autem, nullum eſt venæ ſectionis præſcriptum tempus, quamobrem, nec per noctem ſanguinem mittere iis, ſi morbus ſic expetat verearis. Sic Galenus in lib. de curand. rat. per ſang. miſs. cap. 13. & 20. & in præſagio experientia comprobato cap. 4.

Adnotatiuncula.

Ut vocem phlebotomiam verſus ferant, geminato ubique bb. phlebotomiam in hoc opere legere oportet.

C A P. XCVII.

EXhilarat triſtes, iratos placat, amantes,
Ne ſint amantes, phlebotomia facit.

Hic tres phlebotomiæ referuntur effectus.

PRIMUS, quod contriſtatos exhilaret, ac lætos reddat.

SECUNDUS, quod animos iratorum placet, reconcilietque. Ac utriuſque quidem cauſa eſt, quod hæc, ſcilicet ira, maxime fiat, cum ſanguini admiſcetur multum flavæ bilis, illa vero, nempe triſtitia, cum multum melancholiæ; ſed horum humorum uterque, una cum ſanguine per phlebotomiam educitur: ergo &c.

TERTIUS, quod præcaveat, ne amantes, ob rabidos quoſdam appetitus, ad inſaniam adigantur; humores enim, a capite ad partes ſubjectas revellens expellit.

Ob quinque porro cauſas, venæ ſectio adhiberi ſolet. Quarum una tantum directa eſt, reliquæ vero omnes indirectæ.

Directa ſane habetur, ſanguinis-vacuandi cauſa, ipſius abundantia; ſed cum inutilis ſit naturæ, probe hanc adminiſtrari convenit, ſic ut, quod inutile naturæ ſit, emittat. Fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariam, vel cum propriam qualitatem adunguem non ſervat, nec amplius nutrire, ſicut prius, cum utilis eſſet, poteſt, vel ita multitudine crevit, ut aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, vel diſtendat, (1) vel findat, vel obſtruat. Ac

¶ [1] *Pletora, abundantia nempe boni ſanguinis, vel vires opprimit, vel vaſa diſtendit, & eorum momentum minuit. Hinc prima, dicitur Pletora ad vires; ſecunda vero, ad vaſa. In primo caſu, obſtaculum, quod potentiæ opponitur, ipſa*

in his quidem, miſſio ſanguinis utilis, eſt, ceu vacuantium præſidiorum una. Differenter tamen adhibenda eſt: ſiquidem in ſanguinis multitudine, copioſe detrahere, in reliquis vero, pauca vacuatione uti oportet. Hinc eſt quod lib. 9. capite 10. method. medend. Galenus, in eum prope modum ſcriptum reliquerit: Si ſanguis vitioſus in corpore fuerit, paulatim, quod vitioſum eſt vacuare oportet, & paulatim invicem, quod ſalubre eſt, pro eo reponere. (2) Vocant medici ejuſmo-

---

potentia majus eſt: ſanguis enim, ita cordis momento reſiſtit, ut vix moveri queat, unde lenta, & difficilis circulatio. Hæc eadem Pletora etiam vaſorum ſiſtalticam vim deſtruit, quia omnes arteriæ, tamquam cordis productiones habendæ ſunt. Pletora vero ad vaſa, etiam dari poteſt, non nimis adaucta ſanguinis quantitate, verum tantummodo globulorum elaſticitate, vel rigiditate, qui cum nequeant ſub vaſorum ſyſtole comprimi, & in minus volumen denſari, vaſa ipſa turgere faciunt, ac lentam circulationem, ſecretiones impeditas, torporem &c.

¶ (2) *Tam in morbis acutis, quam in chronicis, ſanguinis, & humorum vitium, per ſolam Phlebotomiam curari nequit. In primo caſu, veluti in morbis inflammatoriis, ſanguinis globuli, vel ſoliditate, vel elaſticitate, vel nimia cohæſione, vel rigiditate, peccare ſolent; & tunc, poſt unam, vel alteram Phlebotomiam, per medicamenta attenuantia, & diluentia curandum eſt, ut hujuſmo-*

di vitioſi ſucci curationem Græce επίκρασιν. Cui ſubſcribit Alexander etiam Trallianus lib. 9. cap. 2. his verbis: At hoc, non una vice faciendum eſt, ne vires dejiciantur. Etenim quamvis, id quod vacuatur, recrementitium eſt, tamen univerſa, ac ſubita mutatione magis offendit. Satius igitur eſt, paulatim, & tuto evacuare, quam feſtinando, perturbandoque, una cum morbo, etiam ægrum e medio tollere. Atque hinc certe liquet, quod perverſe phlebotomia abutantur, qui vitioſum ſanguinem ſtudioſe auferunt tamdiu, dum bonus effluere cœperit: cum univerſus forte ſanguis citius erupturus ſit, quam bonus appareat. Paucam igitur eſſe decet, &, ut Galenus præcipit, in ejuſmodi caſibus, ante venæ inciſionem επίκρασει utendum eſt, hoc eſt, cibus exhibendus eſt, probum generans ſanguinem: quo nimirum, in vitioſi locum, bonus ſuccedat: ac paulo poſt, ſanguis extrahendus eſt modicus. Hæc quidem, directa dicitur phlebotomia: quod per ſe fiat, ad evacuationem illius, quod per ſe, venæ

---

di vitium poſſit emendari, quod fieri nequit, abſque coctione, quæ, primo loco, Naturæ debetur, opportunis auxiliis adhibitis; ſi vero globulorum cohæſio fuerit imminuta, ut in morbis corruptoriis, & bilioſis, tunc per corticem peruvianum, per acida mineralia, per balnea frigida, huic vitio eſt ſubveniendum. In morbis chronicis vero, a ſanguinis miſſione, per quantum fieri poteſt, abſtinendum. Vid. cap. 95. n. 7.

ſectione evacuari debet, nempe ad multitudinis humorum, ſive ſanguinis evacuationem: principaliter tamen, ſecundum quod, cum eo ſunt alii humores.

Reliquæ quatuor dicuntur indirectæ, & adminiſtrantur, ut humorum vehementiorem impetum ad diverſam revocent partem, vel ad latera derivent.

PRIMA adhibetur, ob magnitudinem morbi, ſive vehementiorem apoſtematis cujuſpiam inflammationem. Nam in apoſtemate vehementis inflammationis, in febribus, & doloribus maximis, non invenitur excellentius remedium, quam ſectio venæ, teſte Galeno libro 1. aphoriſ. comment. 23.

SECUNDA, ut materia alliciatur ad locum, per quem evacuanda eſt: unde in menſium atque hæmorrhoidum ſuppreſſione, ſaphena aperienda eſt, quemadmodum in lib. de curand. rat. per ſang. miſs. cap. 9. in hunc ſcribens modum Galenus atteſtatur: Plenitudines a ſuppreſſis menſibus ortas, omnino per crura evacuabis, ſive venam ſecare oporteat, ſive ſcarificare. Sectæ enim in cubito venæ mulierum, revellere purgationem aſſolent.

TERTIA, ut humores deriventur ad partem oppoſitam loco, ad quem ſua ſponte rapiuntur: (3)

¶ [3] *Veluti in inflammatione, a qua, ſanguis ad aliam partem eſt revocandus. Vid. Prælect. academ. Boerhaav. Tom. 6. pag.* 341. *n.* 1. A nimio impetu ſanguinis moti in unam partem, ut in hæmorrhagiis, fluxonibus &c.

& hoc quidem ut materia a membro, in quod confertim ingruit, avocetur, revellaturque, & propterea in immoderatiore menſium fluxu, ſecamus baſilicam, id eſt, interiorem cubiti venam, quæ hepatites etiam vocatur, ut revulſa materia ad locum oppoſitum, a fluxu ſuo divertatur.

QUARTA, ut portiuncula materiæ, quapiam per venæ inciſionem evacuata natura, reſiduum evincere valeat. Atque ita tandem venam incidere convenit, ubi repletio in corpore fuerit, ne generetur apoſtema, virtute ſcilicet imbecilliore exiſtente, quam univerſam illam humorum redundantiam, ſimul moderatur, ac regat. Ideo portiunculam ejus emittimus, ne ob naturæ impotentiam, imbecillitatemque, in debiliores partes ingruens, inibi abſceſſus, aut tumores præter naturam excitet.

CAP. XCVIII.

DE SCISSURAE QUANTITATE.

FAc plagam largam mediocriter, ut cito fumus.
Exeat uberius, liberiuſque cruor.

Hic unicum habetur præceptum de fiſſuræ quantitate in venæ ſectione: nempe, ut ea mediocri-

ter ſit ampla: (1) quo nimirum craſſior ſanguis, ac fumi liberius exeant. Fiſſura enim ſtricta exiſtente, tenuior ſanguis dumtaxat effluit, craſſo intus remanente. Ubi hoc quoque ſciendum, quod in venæ ſectione, aliquando amplum, nonnumquam vero arctum infligere vulnus oporteat. Et amplum quidem tribus maxime de cauſis. Primo cum humores ſunt craſſi, & craſſior ſanguis educendus eſt: ut facilius exire queat. Hinc melancholicis, etiam amplum infligendum eſt. Secundo, ob temporis, ac regionis frigiditatem: per eam enim humores craſſeſcunt: quare per hyemem, ſic neceſſitate jubente, amplo potius utendum eſt vulnere. Tertio, ob redundantiam humorum, qui melius certe amplo, quam arcto evacuantur vulnere. Contra vero, arctum vulnus magis convenit, cum virtus imbecilla eſt: ne ſcilicet immodice ſpiritus excernantur, & calor innatus extra modum debilitetur. Eadem habenda eſt ratio in calido tempore, & cum ſanguis ſubtilis, ac tenuis evacuatur.

¶ [1] *In morbis, a nimia ſanguinis, & humorum cohæſione, expedit, ut ſanguis affluentius exeat, nam diſcreta quantitas, quæ momento temporis mittitur, lato vulnere, plus valet, quam major quantitas, quæ guttatim ſtillat, & nimis difficulter. Vid. Tom. 6. Prælect. Boerhaav. pag.* 342. § 1231. *n.* 1. Lato vulnere, ſecando, inflicto, *& infra dictione* [ſanguinis] Parcior ſanguis, ſed qui uno ſaltu proſiliat, plus juvat, quam duplo plus ſanguinis, ſtillatim elabentis.

CAP. CXIX.

QUAE IN VENAE SECTIONE CONSIDERANDA.

SAnguine ſubtracto, ſex horis eſt vigilandum,
Ne ſomni fumus lædat tibi ſenſile corpus.
Ne nervum lædas, non ſit tibi plaga profunda.
Sanguine purgatus, ne carpas protinus eſcas.

Tria in venæ ſectione conſideranda eſſe, hoc in loco traditur.

PRIMUM, ut is, cui vena ſecta eſt, non dormiat illico poſt phlebotomiam; niſi ſex adminus horæ præterierint: ne fumi ſcilicet, quos ſomnus efficit, ſurſum ad caput evecti, cerebrum offendant. (1) Poſſunt tamen, & aliæ adſignari

---

¶ (1) *Venæ ſectio præſcribi nequit, niſi, turgente neceſſitate, pletora nempe, dolore, æſtuatione, inflammatione, quæ omnia, omnes functiones, & quietem turbant. Detracta ſanguinis quantitate, vel alibi facto motus centro, ſympthomata miteſcunt; & ſomnus ſequitur pacatior. Præterea non datur caſus, caput Phlebotomia gravari; imo potius om-*

cauſæ. Ac prima quidem, ne æger, vertendo ſeſe inter dormiendum, ſupra membrum volvatur, in quo vena ſecta eſt, atque ita læſionem percipiat. Secunda, ne inter dormiendum humores transfluant in partem ex ſcalpelli ictu dolentem, inibique, apoſtema generent. Siquidem partes dolentes, ut cap. 95. artis medicinalis, & in libro de curand. ration. per ſang. miſs. cap. 7. Galenus aſſerit, natura, ſolent fluxionem ſuſcipere, & præcipue quidem in ſomno. Avicenna vero hanc adfert cauſam, nempe quod, ex dormitione phlebotomiæ propinqua, plerumque accidat in membris confractio. Dum enim huc, & illuc, inordinato, atque inopinato, volvuntur, revolvunturque, motu, faſciæ diſſoluuntur, quo fit, ut ſectæ, & adhuc a recenti ſectione hiantes plagæ, immodicam nonnumquam ſanguinis vim, inſcientibus, effundant; quod, quam ſit vitæ diſcrimini conjunctum, nemo eſt, qui ignoret. Ad hæc, fumida quoque excrementa, per ſomnum, intra rurſus ad principalia revocantur membra. Quinetiam ſpiritus, ſanguis, & calor venæ, ſectione ad exteriora perlectati, ſomno ad centrum retrahuntur, atque ita certe, haud raro, cum ob venæ ſectionem excitatam commotionem, tum ſomni quoque retractionem, ebullitio in humoribus contingit, ac inde febris tandem accenditur. [2] Satis igitur liquet, confeſtim

---

vino levari. Hoc enim, a nimia ſtomaci repletione &c. Vid. Tom. I. pag. 117. *num.* 12.

¶ (2) *Tempore ſomni, plus, minusve caput gra-*

a venæ ſectione non eſſe dormiendum: præſertim, ſi interea, nihil dum cibi ingeſtum ſuerit: quod ſi vero a cibi ſumptione, in unam, atque alteram horam, imo, & in pluſculas [ſi ita patitur animus] ſomno indulgeatur, nihil, aut parum admodum offendit. Siquidem exagitatio humorum, tanto temporis ſpatio, ad plenum contrahi, ſedarique poteſt. Satius tamen fuerit a ſomno abſtinere, aut certe, ſi qua neceſſitas dormire omnino cogat, quam breviſſimo uti ſomno, adhibita ſemper cautione quadam, ne diſcinctæ faſciæ, ægrotantes in vitæ diſcrimen adducant. Nonnulli hanc quoque adſignant cauſam, nempe quod materia per ſomnum craſſeſcat, confractioque in membris eveniat, perinde, atque in quartanæ typo, ob materiæ craſſitiem, frigiditatemque ſolet. Tum nervi præterea, atque lacerti, frigidi ſunt: fumus igitur ad ipſos perlatus in ſomno, in quo calor naturalis totus in profundum corporis retrahitur,

---

vari ſolet. Vid. pag. 117. num. 12. Tom. I. eo magis, in ſtatu pletorico, vel in quocumque alio, in quo venæ ſectio convenit: Hinc, quoties per ſanguinis miſſionem, nimia quantitas, vel patemata, ab ea illata, minuitur, non amplius caput gravabitur, vel ſaltem multo minus. Inſuper poſt phlebotomiam, calor, dolor, æſtus, ſive morbi ſymp. thomata fuerint; ſive ſimplicis Plethoræ, continnuo remittitur. Non ergo in humoribus ebullitio contingit, neque febris accenditur, multo minus reliqua enunciata patemata ſequuntur.

craſſeſcit ſimul, & refrigeratur: is ſic refrigeratus, & craſſior effectus, frigiditatem quoque, & craſſitiem, ſive confractionem cum membris communicat. Simile namque, a ſimili; facile afficitur. Et hæc quidem, de ſomno, phlebotomiæ propinquo, & non de remotiore, intelligenda veniunt.

SECUNDUM, ne venæ ſector profundam nimis incutiat plagam, itaut ſcalpello, nervum, aut arteriam venæ junctam attingat. Nervi enim punctura, ob ſentiendi præſtantiam, ob idque, quod cum principio pars hæc continuitatem habet, prompte dolorem accerſit, quem neceſſario comitatur humorum defluxio, hanc excipit phlegmone, quam, ex neceſſitate deinde, non ſolius quidem puncti nervi; ſed totius etia m inſtrumenti conſequitur convulſio, & inde acerbiſſima tandem mors, vel ad minus, membri, utpote brachii, aut digiti &c. amiſſio. Quod Cornelius Celſus lib. 2. cap. 10. iis etiam verbis ſignificare voluit. Juncta eſt, inquiens, vena arteriis, his nervi. Ita ſi nervum ſcalpellus attigit, ſequitur nervorum diſtentio, eaquæ hominem crudeliter conſumit. Lege Galenum cap. 92. artis medic. & lib. 1. cap. 2. de motu muſculorum, & lib. 6. cap. 2. method. medendi. Porro ex arteriæ punctura, fluxus ſequitur ſanguinis arterialis, difficillimæ curationis.

TERTIUM, ne is, cui vena ſecta eſt, protinus a miſſione ſanguinis cibum ſumat; ſed expectet, dum humorum exagitatio ſedetur, ne cibus nondum concoctus, ad ſubveniendum membro læſo, cum ſanguine ſimul attrahatur. De hoc Gal. lib. 4. cap. 20. de ſanit. tuenda.

CAP. C.

Quae post Phlebotomiam vitanda.

Omnia de lacte vitabis, rite minutus.
Et vitet potum, phlebotomatus homo.
Frigida vitabit, quia ſunt inimica minutis,
Interdictus, eritque minutis nubilus aer.
Spiritus, exultatque minutis luce per auras,
Omnibus apta quies, & motus ſæpe nocivus.

Hic, quinque ab inciſa modo vena, cavenda eſſe præcipitur.

PRIMUM, Lac, & lacticinia omnia. Siquidem, ex humoribus, venæ ſectione agitatis, ac commotis, ſæpe in ventriculum nonnihil tranſfluit. Lac igitur, quod per ſe, alioqui corruptioni obnoxium eſt, ſumptum, dictiſque humoribus admixtum, facillime omnino, & corrumpitur, & dulcedinis ratione inconcoctum, ac crudum, ab inanitis venis attrahitur, [1] Supra cap. 7.

¶ [1] *De lactis utilitatibus, jam ſatis pag. 47.*

SE-

SECUNDUM, Potus: quippe qui, & ipſe pari modo inconcoctus, facile ab iiſdem abripiatur. Supra cap. 95.

TERTIUM, frigida omnia, tam intro ſumenda, quam foris admovenda. Ejuſmodi autem cumprimis ſunt, alimenta frigidiora, potus frigidus, balnea frigida, ambientis nos aeris frigiditas, veſtium exilitas, ſuper petram nuda ſeſſio, capitis, ac pedum frigiditas. Hinc enim corpus, calore nimirum innato, plus ſatis jam, venæ ſectione imminuto, præter modum refrigeraretur.

QUARTUM, ne is, cui vena ſecta eſt, verſetur, ſive ambulet in aere turbido, ac nebuloſo. (2) Hic enim eſt, qui, ut ſupra cap. 14. oſtendimus, ſanguinem melancholicum efficiens, animam contriſtat. Sed verſetur potius, incedatque in aere lucido, claro, atque ſereno. Inde enim ſpiritus recreantur omnes, & jucundiſſima quadam voluptate diſtracti, ad eum, ceu ſibi ſimilem promoventur.

QUINTUM, ut idem, temperatam amplecta-

---

n. 9. Tom. I. quod cum ſit tenue, & ſimplex alimentum, numquam melius conceditur, quam poſt Phlebotomiam, quia ad eundem finem ipſum quoque dirigatur, ad refrigerandum, & temperandum nempe, nimium calorem, dummodo primarum viarum infarctus non obſtet. Probatum jam fuit, lac, nonnullas diras humoris diſcraſias curare: humoribus ergo admiſtum, numquam nocere poſſe videtur.

¶ (2) *Vide quæ dicta ſunt pag. 54. num. 14 Tom. I.*

tur quietem, motionemque vitet. Hæc enim, humores venæ ſectione agitatos, magis adhuc commovet, & vires uſquequaque debilitat, illa vero commotionem contrahit, ac ſedat.

Sunt qui tradunt, cavendum etiam eſſe a ſalitorum piſcium uſu, poſtquam vena alicui inciſa eſt: *ἀλφὸς τε γὰρ πολλάκις ψώρας ἀπογεννῶσιν*, id eſt, vitiligines enim, & ſcabiem ſæpe numero gignunt. Simeon Sethi in Synt. de piſcibus.

CAP. CI.

Quibus morbis, et aetatibus phlebotomia conveniat, et quantum sanguinis, quoque tempore detrahendum.

Principio minuas in acutis, perperacutis,
Aetatis mediæ, multum de ſanguine tolles.
Sit puer, atque ſenex, tollet uterque parum,
Ver tolle duplum, reliquum tempus tibi ſimplum.

Quatuor phlebotomiæ præcepta, hoc loco traduntur.

PRIMUM, ut in principio acutorum, & pe-

racutorum morborum vena incidatur: pro cujus pleniore intelligentia, ſciendum initio, peracutum morbum eſſe duplicem. Exquiſite peracutum, qui, ultra quartum, non producitur diem. Hunc recentiores Medici, barbaram ſectantes medicinam, perperacutum vocare ſolent. Non exquiſite peracutum, cujus vigor, in ſeptimo futurus (1) eſt. Hi itaque morbi, cum breves ſint, ac ſtatim, ſummos, ideſt maximos obtineant labores, neque inducias concedant, illico per initia curandi ſunt. Iidem porro, quod a calidis, magna ex parte, humoribus; ſanguine nimirum, & flava bile naſcantur, venæ ſectionem potiſſimum expoſcunt. Hinc non temere Hippocrates libro

¶ (1) *Parum intereſt, num morbus, ſit exquiſite peracutus, vel non exquiſite peracutus, nimirum, num intra quatuor, vel intra ſeptem dies judicandus ſit, quod nunquam, aut ſaltem raro, Medicus prævidere poteſt: Nihilominus, in graviſſimis ſympthomatibus, continuo ſanguinem mittere neceſſitas requirit, etiam ut, aliis medicamentis facilior ſternatur via, quæ in maxima vaſorum turgentia, difficile ingredi poſſunt. Vid. Prælect. academic. Boerhaav. Tom. 6. pag. 341. n. 15.* A conciliando ingreſſu medicamentorum, in vaſa; horumque ſimul admixtione procuranda &c. *Male ſe gereret Medicus, ſi a prima acceſſione judicaverit, febrem eſſe ephemeram, quibuſdam ſympthomatibus non obſtantibus, & Phlebotomiam neglexerit; Nam ingraveſcente morbo, peniteret ſe, negligentiæ ſuæ.*

de vict. ration. in morb. acut. aphoriſ. 35. ita ſcriptum reliquit. Verum in acutis morbis, venam ſecabis, ſi vehemens appareat morbus, & qui ipſum habeant, in vigoris ætate fuerint, & robur ipſis adfuerit.

SECUNDUM, quod in ætate media, ſive florenti, ab anno nimirum 30. ad 45. vel 50. copioſius, quam in aliis, ſanguis detrahendus ſit. Etenim his corpus ſolidum eſſe incipit, quod nequaquam tantum ſanguinis, quantum ſolebat, in ſe traducit; ſed plus ſolito in venis relinquit. [2]

¶ [2] *Homo ad perfectam ætatis conſiſtentiam evectus, & in optimæ ſanitatis ſtatu conſtitutus, idem ſemper pondus continet: nam omnia alimenta, quæ ingerit, exacte ſupplent omnibus excretionibus, & quantum a nutritione ſecedit per vitales vires, tantum per novam nutritionem iterum additur. Non ergo ſanguis, in venis relinquitur, quod ſi verificaretur, per phlebotomiam, evacuandus eſſet, ne forte Plethora adoriretur, magno cum vitæ diſcrimine. Idem homo, dummodo ejus omnes functiones ita procederent, ut ſupradictum eſt, numquam ægrotare deberet a nimio ſanguine, quia per perſpirationem inſenſibilem, propter vaſorum robur, digereret, & expelleret id, quod reliquis Naturæ neceſſitatibus ſupereſſet. Ab iiſdem inſuper cauſis, præſervabitur quoque a reliquis humorum vitiis, qui juxta mechanicas leges parati; neque nimia cohæſione, neque rigiditate, neque fluiditate, peccare ſolent. Non omnes homines ab eadem cauſa ægrotare vidimus;*

Quo fit, ut ejus ſubtractio incrementum non impediat, neque virium robur diſſolvat. Corpus namque in ea ætate, neque augeri ſenſibiliter, nec imminui; ſed veluti ſtare videtur.

TERTIUM, quod ſenibus, ac pueris, parum ſanguinis detrahendum ſit, ut per pueros intelligamus etiam eos, qui pubertatis, hoc eſt 14. ætatis annum exceſſerunt. Nam uſque ad pubertatis initium, tota illa ætas pueritiæ, mollis eſt, & tenerior, quam quæ phlebotomiam toleret: quoniam, licet concoctio, & nutricatio, in iis liberalis ſit; tamen ſpiritus, & ſanguis modicus, utpote qui, continue, atque affatim, in corpus tranſſumitur, neque natura, citra noxam, quod nutriri ſimul, & augeri poſtulat, illius vacuationem ſuſtinere poteſt. Nam eſto, quod natura noſtra, in ſolidis habitet tamen ad immodicam omnem evacuationem labefactatur, aut interit. Pubertas enim primum, ſanguinis miſſionem tolerat. Hic ergo, pro mutatione naturæ, ſanguinem mittere licebit, neque tamen id facere decet affatim; ſed admodum breviter.

Porro per ſenes, eos inaudire oportet, qui adhuc in prima, atque ſecunda ſenectute conſiſtunt. In his enim, audacia mittendi ſanguinis paulatim deſcreſcit, adeout in decrepitis, (3) hoc eſt, poſt

illos vero tantum, quorum humores, unum, vel alterum vitium ſuſcipere apti ſunt.

¶ (3) *Senibus difficile regeneratur ſanguis, qui per inopportunam Phlebotomiam evacuatur, ob vires imbecilles, & ob debilius vaſorum momentum.*

79. annum, ob virtutis imbecillitatem vix liceat. Plura Galen. in lib. 4. Hippocr. de vict. rat. in morbis acut. & Hieremias Thriverus Brachelius.

QUARTUM, quod dupla ſanguinis portio, reſpectu nimirum reliquorum temporum, Vere detrahenda ſit. Tunc enim ſanguinem, maxime creſcere in corporibus noſtris, apud omnes medicinæ ſcriptores in confeſſo eſt. Cæterum, quod ad primum præceptum attinet, regulæ nonnullæ circa ſanguinis miſſionem obſervandæ ſunt.

AC PRIMA quidem, ut ab initio morbi non fiat phlebotomia. Medicus enim ut cap. 87. artis medic. & comment. 22. lib. 4. aphoriſ. Galenus adſerit, naturæ miniſter eſt. Sed natura ipſa, numquam in morbi principio; dum crudi adhuc ſunt humores, ullam vacuationem inſtituit. Ergo

---

Vid. prælect. academic. Boerhaav. Tom. 6. pag. 343. *dictione* [*ſenio*] Peſſimo more receptum eſt, ut ſanguinem ſenibus, qui ſexageſimum annum exceſſerunt; Medici mittant; cauſati Plethoram. Ea certe ætate, ſanguinis rubri, parca copia eſt... Ergo ſenibus venam non oportet ſecare, niſi urſerit neceſſitas. *Nihilominus quædam Mulier epileptica, anno octogeſimo ſexto jam abſoluto, ſaltem ſemel in menſe, phlebotomia, indiſpenſabili neceſſitate, indiget: ita enim ejus arteriæ fortiter micant, & probo ſanguine turgent, ut fere rupturæ metus immineat. Hæc eadem, Phlebotomia olim fortaſſe neglecta, uteri hæmorrhagiam paſſa eſt.*

hec medicus ipſe in principio morbi, dum adhuc omnia cruda ſunt; vacuationem ullam molire debet. [4] Cruda enim, cum vacuationi non obediant, gravia, ea de cauſa, ſymptomata excitant. Galenus comment. 22. lib. 1. aphoriſ.

Fallit tamen hæc regula in tribus caſibus: Primo, quando noxii humores turgent, hoc eſt, ſua ſponte concitati, ad excretionem nos adducunt: tum enim, in principio etiam morbi, nondum coctis humoribus, vacuare licet, ne ſcilicet humores parum ſtabiles, & ab una parte, ad aliam ſine ordine moti, ad principem aliquam partem decumbant: Raro autem accidit, ut humores mobiles, ab una parte, ad aliam transfluant; ſed plerumque, ſunt in parte aliqua, firmi, ac fixi: ideoque non eſt in principiis morborum vacuandum, niſi rariſſime, hoc eſt, quando humores turgent. (5)

¶ [4] *Sanguinis miſſio in acutis: potius morbi principium reſpicit, quam ſtatum. Convenit enim eo ipſo tempore, in quo vaſa omnia conſtricta ſunt, & humores ægre fluunt, in maximo nempe ſolidorum eretiſmo, ut ſolida relaxentur, & circulatio expeditior fiat. Vid. cap. anteced. n. 1.*

¶ (5) *Quod vero ad reliquas evacuationes attinet, humorum coctionem expectare oportet, ad illam præcipue, quæ per inferiora fieri debet. Per ſuperiora vero, quo citius, eo melius, ne forte materia morboſa, quæ in ſtomaco, varia parit incomoda, ulterius mutetur, & per circulationis legem, ſanguinem adeat. Verum quandoque vomitus, tertia,*

Hinc non temere 4. 1. c. 20. & 22. 3. tract. 2. c. 7. & 1. 4. tract. 1. c. 33. ab Avic. præcipitur, ut in principiis morborum, venæ inciſio penitus dimittatur, ut quæ ſuperfluitates extenuet, ut per corpus fluant, ac ſano ſanguini permiſceantur, non extrahat tamen, quod extrahi neceſſe erat: quo fit, ut poſt temporis intervallum, phlebotomiam repetere oporteat, interim eodem die, interim poſtridie. Atque hinc profecto vires nimium debilitantur.

Secundo, in materiæ multitudine: Hic enim circa principia quandoque, quemadmodum comment. 29. lib. 2. aphor. Galenus teſtatur, venæ ſectionem, nonnumquam vero, & purgationem adhibere oportet, quo, minorem jam factam materiam, natura poſſit concoquere.

Tertio, in morbi magnitudine, ac vehementia, ut in magno, vehementiſſimoque dolore apoſtematis, licet non ſit multa in corpore materia, ſci.

---

aut quinta die, copioſior prodit, ſolo Naturæ molimine, utplurimum in principio, aut augmento tertianæ exquiſitæ, qui per emeticum non obtineri potuit. De hoc autem ſucceſſu gnarus Medicus, numquam mirabitur, quia hæc copioſior excretio, non a ſolo ſtomaco, ſed a duodeno provenit; quando nempe, tempore paroſiſmi, bilis acrior facta, ac mobilior, ſtomacum attollit, in quo vividiori ſtimulo excitato, ſibi, & reliquis humoribus corruptis, qui illuc adfluunt, exitum molitur, & omnia ſymptho, ta levat.

licet antecedens. Nam repellendus humor eſt, ne apoſtema, citius, quam par eſt, crepet, aut aperiatur. Venæ igitur ſectio, ut magna hæc, & prava ſymptomata evitentur, circa initia, ſtatim adhibenda eſt. Quod Galenus lib. 13. cap. 20. method. medend. iis innuere verbis voluit, inquiens. Itaque incidenda, in talibus affectibus, vena, ſtatim ab initio, ſi modo, tam valens virtus ſit, ut ſine noxa, miſſionem ſanguinis toleret, ac nihil prohibeat, eorum, quæ de ſecanda vena retulimus, ſicuti, vel crudi humores copia, vel puerilis ætas, vel anni tempus, vel regio, in qua ſit extremus calor, aut frigus. Non ſolum autem in morbis acutis, atque adeo inflammationibus; verumetiam, in vulneribus, & contuſionibus particularum, præſertim nobilium, ſanguis ex oppoſita parte mittendus eſt, ut inflammatio prohibeatur, etiam ſi ſanguis modicus fuerit.

SECUNDA, ne fiat phlebotomia in die motus ægritudinis, velut in criſi: ut in qua, neque venæ ſectio, neque aliqua alia vacuatio tentanda ſit: ne materia, ſcilicet, divertatur [6] a loco,

---

¶ (6) *Sudore nempe erumpente, tempore criſis; vomitu critico, vel alvi fluxu, quo tempore Natura, totis ſuis viribus, ad expellendam morbi cauſam integre occupatur, quæ ab intempeſtivo ſanguinis diſpendio deficeret; vel in principio acceſſionis, nam diverteretur motus centrum, & excretiones ceſſarent, ex aliqua parte ſaltem. In Augumento vero febris, quando omnes excretiones, &*

ad quem natura, ipſam, ut excernatur, pellit. Pari modo, nec in ipſo paroxyſmo, tale quippiam tentandum eſt: recteque comment. 29. lib. 2. aphor. Galen. præcipit, ut morbo jam conſiſtente; neque venæ ſectio, neque purgatio adhibeatur, quod coctiones morborum, tunc maxime fiant, quæ melius in quiete, quam motu perficiuntur. Cæterum ſicut ſe habet ſtatus ad integrum morbum, ita, & paroxyſmus, reſpectu dierum *ἀπυρεξίας* id eſt, intermiſſionis: quemadmodum igitur in ſtatu; non eſt vacuandum, ita nec in paroxyſmo.

TERTIA, ne phlebotomia, circa initia ſtatim morborum fiat, quando criſis, adhuc remota eſt. Sanguis enim, innati caloris fundamentum eſt, ipſum nimirum ſuſtinens; licet cor generet, & ſpiritus ipſe deferat; ſed ſanguis eſt fundamentum ejus; ex ipſo enim, ut materia, nativus calor gignitur; per ſanguinis igitur ſubtractionem, calor, qui coquere materiam morbi debebat, vacuatur: quo fit, ut morbus in longum portrahatur, viriumque robur dejiciatur, ut timendum ſit, ne ob morbi diuturnitatem, ac virium imbecillitatem, natura ſuccumbat.

QUARTA, ne in corpore, cui ſtercus multum inter inteſtina cohibetur, phlebotomia adhibeatur. Tria enim ſunt, velut ſupra cap. 95.

ſequeſtrationes ſunt ſuppreſſæ, ad nimium motum; & calorem febrilem temperandum, præſtat Phlebotomia.

oſtendimus, attrahentia: (7) loca ſcilicet inanita, membrorum caliditas, ac totius corporis habitus. Venæ igitur, ſanguinis miſſione exhauſtæ, e membris rurſum propinquis attrahunt; quemadmodum, & Meſeraicæ, e ventriculo: quo fit, ut alvus magis cohibeatur, & materia in venis contenta corrumpatur. Meſeraicæ enim, humiditatem e ſtercore penitus exugentes, ipſum exſiccant: Proinde molli clyſtere, aut ſubjecta glande, æger prius vacuandus eſt; ne venæ, putridam quampiam ſuperfluitatum eſſentiam, ab inteſtinis venentur, attrahantque: Galenus in præſagio experientia confirmato capite 5.

QUINTA, ne frequens, ac multa phleboto-

¶ (7) *Hæc attractio, verificatur tantummodo de ſanguinis miſſione, quando nempe, in aliqua inflammatione, dolore, vel adfluxu, ab oppoſitis, ſanguis mittitur, ut adfluxus avertatur, nam illuc ſanguis adfluit, ubi vaſa inania ſunt, & a plenioribus aufertur. Per draſticas purgationes, ab omnibus fere corporis partibus, ad interiora, humor craſſus, lentus, inutilis, uti in Reumatismo, vertigine, aliave capitis adfectione, revocari ſolet. Per phlebotomiam vero, fæces, quæ in inteſtinis continentur, nullimode in membra revocari poſſunt; cum jam ſatis conſtet, per vaſa lactea, præter chylum, & limpham, vel alia his ſimilia, nil tranſire poſſe, in ſtatu ſano, quod ſi umquam ſequeretur, non per ſanguinis miſſionem, ſed per aliam cauſam, uti in febribus intermittentibus ſolet evenire.*

mià fiat: Hinc enim circa ſenium, multi, ac mali generantur morbi, ſicut eſt epilepſia, apoplexia, & paralyſis: (8) ſiquidem, ob ſanguinis, & caloris imminutionem multæ generantur phlegmaticæ ſuperfluitates, quæ dictas tamdem ægritudines excitant. Hinc non temere vulgo dici ſolet: Qui in juventute phlebotomiam exercent, hoc eſt, ſanguinis miſſione, citra neceſſitatem ſæpius utuntur, ſenectutem deflebunt.

SEXTA, ne venæ lectio adhibeatur mulieri, cui menſes fluunt, aut uterum gerenti. Uterum gerenti quidem, ne abortiat: (9) Calor enim ci-

---

¶ [8] *Dummodo vires ferant, & caput eſſentialiter lædatur, phlebotomia negligenda non eſt. Cæterum Vid. n. 3.*

¶ (9) *Aborti cauſæ, multæ quidem eſſe poſſunt, inter quas, etiam plethora enumeratur: nam non ſemper ſanguis menſtruus, præſertim in fœminis plethoricis, fetui nutriendo uſurpatur, verum aliquando ita plenitudinem auget, ut plethoram faciet, quæ, ad uterum adfluens, vaſa aperire poteſt, placentam removere, & Abortum inferre. In hoc enim caſu, phlebotomiam negligere, quocumque geſtationis tempore, maximus error eſſet, & Aborti cauſa. Inſuper, licet fœtus adultior, majori alimonia indigeat, nihilominus, quia viſcera omnia naturalia, & vitalia fortiter comprimuntur, & vaſa circumpoſita anguſtantur, gravabitur caput, & omnes artus, per diſcretam ſanguinis miſſionem relevandi, unde praegnantibus omnibus, Mammae turgent, & lac praebent.*

bum concoquens venæ ſectione diminuitur, & alimentum fœtui ſubtrahitur, & maxime quidem ſi is auctior fuerit. Nam fœtus, ex menſibus nutritur, cum autem non inveniat unde nutriatur, fame conficitur, & movetur, & diſſolvitur, exciditque ex naturalibus vinculis: magis autem hoc contingit, ſi major ſit fœtus, nam majori indiget alimento. Non invenit autem, ipſo ſanguine miſſo. Plura de hoc Leonhartus Fuchſius comment. 31. lib. 5. aphor. Hippocr. Cui vero menſes fluunt, naturaliter ſcilicet, & ſecundum revolutionem menſis, vena ſecanda non eſt; niſi in immoderatiore fluxu, nempe ad revellandam materiam. Sed quando naturaliter, & ſecundum debitum naturæ curſum erumpunt, naturæ, res omnis permittenda eſt. Supra capite 95.

SEPTIMA, ne phlebotomia fiat poſt immodicam ventriculi perturbationem, infra, & ſupra factam, quam χόλεραν Græci, Latini choleram [10] etiam appellant, barbaram ſectantes

---

¶ (10) *Crebra, & violenta excretio humorum per ſuperiora, & inferiora ſimul, maximo cum Patientium cruciatu. Diriſſimus hic morbus, infra paucas horas, etiam robuſtiores homines interimere poteſt: talis enim in viſceribus acerrimus ſtimulus excitatur, ut omnes contentos humores educat, atque alios a remotioribus partibus, facto inibi motus centro, revocare valeat, ad mortem uſque, cum inanitione omnium vaſorum. Et re quidem vera, in hac adfectione, pulſus parvi, inanes, imbecilles, frigus ex-*

medicinam, Cholericam, & choliricam paſſionem nominant. Cum enim venæ ſectione humores commoveantur, timendum, ne per hoc, bilioſus humor in ventriculum transfluens, ipſum inflammet. Plura ſupra, circa finem capitis 95.

Poſtremo, videndum etiam eſt, quibus hominibus phlebotomia conveniat: (11) Cui ſane rei, regulæ etiam nonnullæ ponendæ ſunt.

AC PRIMA quidem, quod hominibus delicatis, otioſis, deſidioſam vitam agentibus, valde

---

tremorum, convulſiones, deliquia deprehenduntur, a defectu circulationis, & humorum circulantium. In hoc ſtatu rerum, maximus error eſſet ſanguinem mittere, eo quod, quo plus vaſa deplentur, eo mortis periculum inſtat. Balnea tepida, per immerſionem, aquae Camomillae, Malvae, Altheæ; vel topica viſceribus, admota; decoctiones ejuſdem per inferiora, & ſuperiora, hujuſmodi eretiſmum ſedare valent; addito tantillo liquoris anodini mineralis Hoffmanni; vel paucis guttis Laudani liquidi Sydenamii. Vinum pariter generoſum, arcanum eſt remedium ad nervos roborandos contra ſtimulum, calorem excitandum, & ad cor pariter reficiendum. Hac cum methodo, feliciter ceſſit funeſtiſſimus hic morbus; & ſtimulo jam ſubmiſſo, rudiores apparuerunt fæces, & magno quidem cum levamine.

¶ (11) *Dummodo phlegma non abundaverit, & ſtomacus in ſuo vigore conſtiterit, alioquin a Phlebotomia abſtinendum.*

corpulentis, & multum nutriente cibo utentibus, potiſſimum conveniat.

SECUNDA, quod illis etiam, qui ſanguine abundant. Quod quidem per urinæ craſſitiem cognoſcitur; abundantia enim ſanguinis, eam efficit craſſam, flava vero bilis, tenuem.

TERTIA, quod iis quoque ex uſu ſit, qui melancholico abundant ſucco; unde multa melancholia, naturali cum ſanguine, per corpus diſcurrente, quod ab ea, ſanguis in hepate adamuſſim non depuretur, purgationem antecedere debet phlebotomia, ſequi vero purgatio. Duplex porro melancholia eſt; naturalis ſcilicet, & non naturalis. Quando naturalis abundat, cum ſanguine ſimul diſcurrit, quare ad ejus evacuationem, primum quidem, venæ ſectio adhibenda eſt: ab eodem enim calore, temperato nimirum, ſanguis, & melancholia generantur: deinde vero poſt temporis aliquod intervallum, nempe poſt concoctionem, purgatio, phlebotomiæ ſuccedet.

QUARTA, quod illis cum primis etiam conferat, in quibus periculum eſt, ne ob humoris redundantiam, in corpore accidat calefactio, ebullitio, & conturbatio. Nonnulli tamen, per hanc regulam, ſæpe numero falluntur. Quando enim calefactionem aliquam percipiunt, humorum ebullitionem adeſſe ſuſpicati, venæ ſectione ſtatim utuntur, cum ex flavæ bilis fervore, & incenſione, hoc interim accidere etiam poſſit. (12) In

---

¶ [12] *Qui in maximo vigore conſtituti ſunt,*

qua ſane tantum abeſt, ut calefactio, & ebullitio per venæ inciſionem cohibeatur, ut magis etiam incitentur, & augeſcant. Phlebotomia enim humores commovet, ut majore deinceps impetu per corpus diſcurrant. In tali igitur caſu, phlebotomia utendum non eſt, niſi ſit ex humorum redundantia: quod quidem ex ſudoris multitudine dignoſcitur, & præcipue, cum is, matutino tempore oboritur. Aliqui enim non ſudant, niſi cum evacuatione opus habent.

QUINTA, quod venæ ſectio, illis potiſſimum adhibenda ſit, quibus vires adhuc firmæ ſunt, quique ſanguineæ, & non frigidæ, ac ſiccæ ſunt temperaturæ. Hinc Rhazes lib. 7. ad Almanſor. cap. 21. Corpora, inquit, quæ venas habent amplas, & conſpicuas, quæque hirſuta ſunt, & colore inter rubrum, fuſcumque medio, adoleſcentium nimirum, juvenum, & ſenum nondum decrepitorum, phlebotomiæ præſidia magis tollerare poſſunt. Pueris vero, & infirmis, vena ſecanda non eſt, niſi maxima incumbente neceſſitate.

& bono corporis abitu gaudent, larga ſanguinis miſſione indigent, ne forte vaſa, nimis diſtracta diſrumpantur, unde Hæmopthyſis, vel apoplexia timeri poterit. Si vero calefactio, a bilis acrimonia, aut alkaleſcentia, uti in febribus putridis bilioſis, producatur, ad refrigerantia, & acida valentiora eſt deveniendum, diſcreta phlebotomia non neglecta, dummodo ſympthomata poſtulaverint.

CAP.

C A P. CII.

Quae membra, quoquo tempore, venae sectione, vacuanda.

VEr, Aeſtas, dextras, Autumnus,
Hyemſque ſiniſtras.
Quatuor hæc membra, hepar, pes, cepha, cor, vacuanda.
Aeſtas hepar habet, ver, cor, ſicque
ordo ſequetur.

Hic oſtenditur, quæ membra, quoquo tempore, per phlebotomiam ſint vacuanda.

AC PRIMO quidem dicitur, vere, & æſtate, venas dextræ partis eſſe ſecandas: dextræ ſcilicet manus, brachii, vel pedis. Sed autumno, ac hyeme, ſiniſtras: ſiniſtræ nimirum manus, brachii, vel pedis. Vere enim creſcit, atque augetur [1] in

¶ (1) *Poſt inventam ſanguinis circulationem, jam inconcuſſum habemus, a quacumque corporis parte ſanguis mittatur, totus, ad mortem uſque effluere poſſit, ita ut, ne minima quidem gutta in vaſis remaneat. Hinc, illa ſanguinis quantitas, quæ ab una parte educitur, data proportione, ab omnibus vaſis aufertur, licet eo ipſo tempore, majori*

corpore ſanguis, æſtate vero, flava bilis: quo fit, ut in vere, ac æſtate, vacuandæ ſint venæ, quæ ſanguine, & flava bile magis abundant; tales autem cumprimis ſunt venæ dextræ. Siquidem, in dextra corporis parte, ſitum eſt membrum ſanguificationis, nempe hepar, & κύστις χοληδόχος, ideſt, folliculus flavæ bilis. In Autumno vero, humor generatur melancholicus, qui acervatur etiam, nec diſſolvitur per hyemem: unde autumno, & hyeme, illæ venæ potiſſimum ſecandæ ſunt, in quibus melancholia magis dominatur, ſuntque venæ ſiniſtræ. Nam in ſiniſtra corporis parte, ſitus eſt lien, receptaculum melancholiæ.

SECUNDO deinde loco traditur quatuor hæc membra, nempe κεφαλὴν ideſt, caput, cor, pedem, & hepar, vacuanda eſſe, juxta quatuor anni tempora. Cor quidem vere, hepar æſtate, caput hyeme, & pedes autumno.

---

quantitate illuc adfluat, ubi motus centrum factum eſt. Ideo, in aliqua inflammatione reſolvenda, ab oppoſitis, ſanguis mittitur. Vid. n. 7. cap. ant. quare Phlebotomia conveniat tempore Verno, vid. pag. 73. n. 16. tom. 2.

CAP. CIII.

De commodis, ex sectione Salvatellae.

Ex ſalvatella, tibi plura dona, minuta,
Splenem, hepar, pectus, vocem, præcordia purgat.
Innaturalem tollit, de corde dolorem.

Sex commoda, hoc loco recenſentur, ſectionis venæ, quam ſalvatellam, vulgo vocant. Ea, inter digitum indicem, & medium frequenter admodum, & ſæpiſſime inciditur. Alius incifionis ejus locus eſt, ut vulgus autumat, inter medium, & auricularem.

AC PRIMUM quidem, ejus commodum, quod lienem expurget.

SECUNDUM, quod jecur emundet.

TERTIUM, quod pectus purificet.

QUARTUM, quod vocis auferat incommoda.

QUINTUM, quod a nocumento tueatur, ac conſervet præcordia, quo nomine, os ventriculi, membra, ſpiritus, & quæcunque cordi vicina, hic intelligenda (1) ſunt.

¶ (1) *Cap. 95, & 96, ſatis de ſanguinis miſſio.*

SEXTUM, quod non naturalem cordis dolorem tollat: ac ratio quidem omnium eſt, quod

---

ne actum eſt: ſimiliter ejus neceſſitas, & utilitas manifeſte adparuit: Supereſt tantum, hic animadvertere, in aliquibus inflammationibus confirmatis, ac pertinaciſſimis doloribus (poſt pluries repetitam phlebotomiam) ab ipſa parte adfecta, per Hyrudines, vel cucurbitas excarificatas, ſanguinem mittere, ut vaſa obſtructa evacuari poſſint, & ſanguine craſſo, denſo, immeabili, acri, per breviorem viam educto, ipſa circulatio melius expediatur. Hinc in hepatitide, ſive hepatis inflammatione, ab ipſa parte adfecta, ſanguis evacuatur comodius, per Hyrudines: imo admoto etiam epiſpaſtico, magna excitatur plaga, ut materialis morbi cauſa facilius educatur. Idem in morbis pectoris experiri ſolent Practici fere omnes, tum chronicis, tum acutis, optimo cum ſucceſſu. In Ancina inflammatoria, poſt varias Phlebotomias, ipſa vena ranina, mox ſub lingua incidenda eſt; In capitis adfectionibus, lethargo nempe, delirio, Apoplexia a nimio ſanguine enata, venam jugularem incidere præcipiunt; imo aliquando, Hyrudines ante Naſi meatus admovere, ut inde Hæmorrhagiam arte excitare poſſint, vel etiam circa aures; quod, in mania, pari modo fieri ſolet. Hæmorrhoidibus ſuppreſſis, & hepate aliquando obſtructo, Hyrudines, vel cucurbitæ circa Anum admovendæ ſunt, ſed curandum, ne venæ ipſæ hæmorrhoidales lædantur, quia facile in ſuppurationem abeunt, vel ſaltem ſanguis difficile ſiſtitur.

hujus venæ ſectio, ut latius paulo poſt declarabitur, ab omnibus illis locis ſanguinem educat.

Pro pleniore autem hujus rei intelligentia, primo quidem ſciendum eſt, aperiri nonnumquam venas, nonnumquam vero arterias. Verum, propter difficilem fluxus arteriæ compreſſionem, arterias, medici incidere metuunt, (2) quippe, cum ſi quis, in ſecanda, forte, vena, arteriam vulnerarit, ægre ſtatim, ſanguinis eruptionem compeſcat, ac ubi res optime cedat, ad cicatricem perducta diviſione, tamen ἀνεύρισμα, hoc eſt, arteriæ incifæ dilatatio exiſtat, teſte Galeno in lib. de curat. per ſang. miſs. cap. 21 & 22. Difficilis porro eſt, fluxus arteriæ compreſſio, partim quidem, ob arterialis ſanguinis fervorem. (Hic enim promptiſſime movetur, arteriamque dilatando aperit:

¶ (2) *In diriſſimis capitis adfectionibus, ſæpe obſervatum eſt in praxi, Phrenitidem, a larga ſanguinis hæmorrhagia per nares, fæliciter ſolvi, quæ, cum per arterias ſoleat evenire, practici aliquando ad arteriotomiam deveniendum eſſe conſuluerunt, ut magnum naturæ opus imitarentur. Hoc enim caſu, arteria temporalis eligenda eſt, quia ſatis manifeſte adparet, quoad pulſum, & vix graciliſſimis tegitur muſculis; ſimiliter inflictum vulnuſculum facile conſolidari poteſt, nam arteria, inter ſuppoſitam calvariam, & externam preſſionem, ita comprimitur, ut neque ſanguinis guttam recipere poſſit, ideoque, neque eo tempore pulſare, quod continuo concurrit, ad vulneris conſolidationem.*

quare ſanguinis ejaculationem in arteriæ inciſione admodum juvat.) Partim vero, quod motus arteriarum, ut lib. 2. cap. 20. de ſanit. tuend. Galenus atteſtatur, numquam intermittatur, quo fit ut ipſarum vulnera, tardius etiam curentur, cum utique quietem requirant ea, quæ ſananda ſunt. Gal. lib. 5. cap. 8. method. medend. & comment. 6. lib. aphoriſ. Prodeſt autem arteriæ inciſio, quando corpus redundat ſanguine tenujore, aut flatuoſo, aut fervidiſſimo. Sedes enim ſanguinis ſubtilis, ac tenuis, unde calor naturalis; & ſpiritus procreantur, & item flatuoſi, in arteriis eſt. Quin fervidiſſimus etiam ſanguis, qui a calidiſſimo membro, corde ſcilicet, perficitur; inque ſingula corporis membra digeritur, in arteriis continetur. Craſſioris vero, quo membra nutriuntur, receptaculum, in venis eſt. Sane vero, quæ Galeno occaſio extiterit ſecandæ arteriæ, ipſe cap. 12. de curandi rat. per ſang. miſs. ediſſerit. Monitus inquit, per quædam inſomnia, quorum duo perſpicue mihi viſa ſunt, acceſſi ad dexteræ manus arteriam, inter indicem, ac pollicem ſitam, ſivique fluere, donec ſponte ſanguis reſiſteret: nam ita ſomnium præceperat. Effluxit autem non tota libra. Subito itaque, diuturnus extinctus dolor eſt, illa, maxime, parte fixus, qua jecur, ſepto tranſverſo committitur. Mihi quidem, hoc, ætate juvenili evenit. At miniſter Dei Pergami, diutino lateris cruciatu laborans, liberatus eſt, arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſus, & ipſe illud, inſomnii monitu.

Secundo vero loco ſciendum, quod venæ ſe

ctio, multis admodum membris adhiberi ſoleat: Aliquando quidem brachio, ſive manui magnæ, nonnumquam parvæ, quandoque pedi, interdum naſo, aliquando fronti, nonnumquam labiis, quandoque linguæ, ſive palato, nonnumquam angulis oculorum, frontem verſus. Quinque venæ ſecandæ veniunt in manu magna, per quam intelligitur apud Medicos totum brachium, cum ſumma manu, ut per pedem, totum crus, hoc eſt, quicquid ab iſchio, uſque ad plantas pedum eſt, quemadmodum docuit Rhazes lib. 7. ad Almanſ. cap. 21. & Avicenna 4. 1. cap. 20.

Una vocatur humeraria, ſive humeralis, Græce ὠμιαῖα quod per humerum, in manum feratur: vel exterior, quoniam cubiti exterius latus perreptat: Vel κεφαλική ideſt, vena capitis.

Altera interior cubiti vena, quæ ἡπατῖτις Græcis dicitur, Latinis jecoraria, & lienaris: hodie, facientes medicinam, Baſilicam vocant.

Tertia, Media, quam nonnulli, & alio nomine, non inepte, communem, vel cardiacam, vel nigram, vel matrem, nuncupant. Barbari vero, Medianam appellant.

Quarta, axillaris, quæ eſt ramus baſilicæ.

Quinta, funis brachii, quæ eſt ramus cephalicæ deſcendentis. In minori, ſive ſumma manu eſt Sceilen, ſive Salvatella. Et ita, in manu, ſex venæ ſecandæ veniunt:

Cephalica [3] incidenda eſt, ubi ſuperiores

¶ [3] *Ramus exterior venæ axillaris, cephali-*

pectoris partes, facies nimirum, aut caput, male afficiuntur: quare confert paſſionibus capitis, ut hemicraniæ, maniæ, & ſimilibus. Galenus capite decimoſexto, de curand. ration. per ſang. miſs.

Baſilica, a partibus ſtatim evacuat, quæ infra cervicem ſunt, verbi gratia, a lateribus, pulmone, corde, jecore, liene, aut ventriculo.

Communis, ſitu, & compoſitione, inter duas jam dictas, media eſt. Nam ea, ex fiſſione utriuſque oritur. Eſt etiam, in vacuando media: undique enim vacuat, ab inferioribus nimirum partibus, infra cervicem, a collo, & ſupra collum. Unde exquiſitiſſima, omnium humorum, & univerſalis toti corpori, per hujus venæ ſectionem, fit evacuatio. Univerſalis quidem, non, ut quibuſdam placet, quod a corde oriatur; ſed quod ſit ramus cephalicæ, & baſilicæ: Sanguinem igitur, a cephalica detracturus, ea non apparente, mediam potius, quam baſilicam ſecabis. Quod ſi

---

ca externo brachii latere, verſus pollicem extenditur, quæ in interiori, Baſilica vocatur; in brachio dextero, hepatica; in ſiniſtro vero, ſplenica, illa hepati, hæc lieni reſpondet. Mediana, fit ex concurſu ambarum in cubiti flexura; ſalvatella tandem, quæ per dorſum manus, ad digitum auricularem excurrit. Ita ex accuratiori anathome. Hinc ſanguis, qui exinde mittitur, morbos omnes ſupra Diaphragma exiſtentes reſpicit, ab inflammatione, plethora, lentore, ſtaſi, aliiſque ſimilibus cauſis enatos.

nec Baſilica ſe oſtenderit, ad mediam potius, quam ad cephalicam confugies.

Salvatella, ſive ſalubris, Sceilen Avicenn. 1. 1. doct. 5. ſumm. 5. cap. 4. appellatur, & eſt vena ſub annulari, & medio digito exporrecta. Verum alias ſubinde, apud Arabes, & Barbaros, illam Sceilen vocari obſervatur, quæ juxta brachiale, ab humerariæ ramo, axillaris venæ propagine, conſtituitur, cui eadem, quæ axillari, medicorum vulgus, nomina imponit, hanc quoque ſalvatellam, & ſalubrem vocant. Hæc obſtructo hepate, in dextra manu, liene vero, in ſiniſtra incidi ſolet. Quare hoc fiat, ratione oſtendere non eſt; ſed experientia licet. Porro manus illius, cui hæc vena ſecatur, in calidam aquam ponenda eſt, donec locus inficiatur, & leviter extumeat, conſpicuuſque fiat: ſecta autem jam vena, iterum in aquam ponenda eſt, ideo ut, ſanguis, cito ejaculetur, ſi ejus eruptio debilis fuerit, ſicuti ſolet in pluribus eorum, quibus per hanc venam ſanguis extrahitur, & ne ſanguis in ore venæ coagulatus, illico reſtringatur. Cum autem ex ea, quantum volueris, emanarit, parum olei, ac ſalis imponendum eſt, ne juſto citius, vulnus cicatrice obducacatur. Rhazes lib. 7. cap. 21. ad Almanſ. & Avicenna 4. 1. cap. 20.

Axillaris, ramus eſt baſilicæ, & apparet in curvatura brachii verſus, inferiora: de hac, idem, quod de baſilica judicium eſt.

Funis brachii, ſimilis eſt cephalicæ, eſt enim ramus ejus. Quamquam autem, venæ ſectione, quemadmodum idipſum a Galeno, & Avicenna

adſeritur, univerſalis e toto corpore fiat evacuatio; non tamen ex omnibus venis æqualiter; ſed tantum ex communibus, ut viſum eſt. Licet etiam venæ, e toto corpore vacuent, non tamen æqualis, in omnibus, eſt timor. Imo cephalica Rhazæ eſt ſecurior; baſilica vero, & cardiaca, magis timendæ, quamquam hæc, quam illa minus.

Cephalica, omnium, minus eſt noxia, cum nullus nervus, nulla arteria; nullus etiam tendo, ſub ea vena procurrens, ſectionem impediat.

Cardiacæ, ſive medianæ inciſio, admodum difficilis, ac periculoſa eſt, propter ſubjacentem nervum, ac tendinem: maxime, ſi in ipſo brachii ſinu, profundius incidatur. Periculum id, ἀνορίσμα, ut paulo ante dictum eſt, Græci vocant. Nam is, eſt præcipue locus difficilis; qui tamen quotidie adminiſtratur.

Baſilica, inter cæteras ejus loci, periculoſiſſimam habet ſectionem: tum propter arteriam, quæ ſubjacet, tum etiam propter incertum, & varium nervorum, in ea parte, procurſum, qui te dubium; & anxium reddunt: præſertim in interiore brachi plexu, qui minus carnoſus eſt.

Sceilen, ſive Salvatella, non eſt periculoſa; ſed tamen ſubtilis, unde convenit, ut in ſectione ejus, manus in aqua calida detineatur, quo expeditius erumpat ſanguis.

In pede, (4) tres venæ ſunt, iſchiatica ſcilicet,

¶ [4] *Cruralis generice, ex qua ramus internus, ad internum mallcolum extenditur, & Saphe-*

ſaphena, & vena poplitis, quas incidere conſuevimus, ſanguinem deorſum revulſuri, ut in menſium provocatione.

Sed in hoc, vena poplitis, juxta Avicennæ ſententiam, efficacior eſt ſaphena, aut iſchiatica: propinquior enim eſt utero, unde melius, ab ipſo deorſum trahit.

Saphenæ ſectio, a renibus, ab utero, teſticulis, & virga ſanguinem educit.

Iſchiatica, ab ancha, id eſt, iſchio, ſive a coxa, renibus, & membris, verſus exteriorem partem ſitis, melius trahit. Juvamentum ſectionis ejus, magnum eſt in iſchiade, podagra, varice, & elephantiaſi.

Saphena ab utero trahit, & membris, verſus interiorem partem ſitis, licet ejuſdem venæ ſint rami: menſes provocat, & hæmorrhoidum orificia aperit.

In media fronte, inter duo ſupercilia, ſita eſt vena, cujus inciſio, confert gravitati capitis, & præcipue illi, quæ eſt a parte poſteriori, & antiquis faciei vitiis, nempe morphæ, impetigini, ſcabiei, & oculorum affectibus; (5) inciſa tamen prius cephalica.

---

na *vocatur; externus circa genu*, Poplitea; *in ſuris* funalis; *& in pedis pollice*, cephalica *quoque a Chirurgis indigitata.*

¶ (5) *Non ſemper: eo quod adfectiones non ſolum a plethora producuntur; ſed prorſus a ſanguinis diſcraſia muriatica, alkalina, acida, &c.*

Eſt in naſo quoque vena, in cujus inciſione collum, ſudariolo ſtringere oportet, donec capitis partes intumeſcant, & vena conſpicua fiat. Idem etiam, in ſectione venæ frontis, faciendum.

Inter labra, item, & gingivas, venæ ſunt, quæ propter oris, aut gingivarum abſceſſus, ſcindi ſolent; cephalica tamen prius inciſa.

In palato, venæ ſunt quatuor, quarum inciſio confert fluxioni rheumatis ad dentes, ac in eis dolorem excitantes. Suntque omnes conſpicuæ, & incidendæ potiſſimum, poſt concoctam materiam.

Sunt quoque venæ quædam, in angulis oculorum lachrymalibus, frontem verſus, quæ inciduntur in paſſionibus oculorum, doloribus capitis, ophthalmia antiqua, & lachrymis, ſecta prius cephalica.

Præterea venæ, quæ ſub lingua conſpiciuntur, poſſunt in multis affectibus incidi, præſertim in angina; ſecta tamen prius, cephalica.

Quinetiam in temporibus, juxta aures, venæ ſunt, quæ inciduntur, propter vertiginem, hemicraniam, vehementem capitis dolorem, & ægritudinem diuturnam; ſed hæc inciſio, ut in lib. de genitur. artic. 3. Hippocrates auctor eſt, hominem reddit ſterilem. Quibuſcumque vero, inquit, juxta aures venæ ſectæ ſunt, hi coeunt quidem, & genitu-

---

quæ per phlebotomiam curari nequit, dummodo hujuſcemodi humorum vitium, aliunde non corrigatur.

ram emittunt, verum modicam, & debilem, ac inſœcundam. Nam plurima genituræ pars, a capite juxta aures, in ſpinalem medullam procedit. Ipſe autem tranſitus, cicatrice ſectioni inducta, conſolidatus eſt: & in lib. de aere, aquis, & locis art. 51. Atque mihi ſane videtur, ea medicatione, ſeipſos perdere: Venæ enim, retro aures ſunt, quas, ſi quis ſecat, ſterilitatem inferat his, quibus ſecatur; quare id etiam ipſis, ex earum inciſione accidere, certum eſt: *ob eamdem cauſam:* Et proceres Scytharum, inciſis juxta aures venis, ſterileſcere affirmat: Avicenna, eas juveniles vocat.

In collo etiam venæ ſunt quas Græci σφαγιτίδας, Latini jugulares, id eſt, venas faucium, & gutturis, Arabes *Guidez*, Barbari *Subeticas*, *Apoplecticas*, & *ſomni venas* appellant, quod preſſæ, ligatæ, & complicatæ, afferant καρον, ideſt ſomnum veternoſum, & torporem quemdam apoplecticum. Vulgo, *den Indengrioff* vocare ſolent. Hæ inciduntur, cum anhelitus, in principio lepræ, maxime conſtringitur, coarctaturque, & in principio fortis anginæ, in aſthmate acuto, in raucedine vocis, in abſceſſu pulmonis, in dyſpnœa, quæ eſt ex multo ſanguine calido, & in ægritudinibus ſplenis, ac laterum. Plura in libro anatomiæ vivorum, Galeno adſcripto, capite 28. & apud Rhazen, & Avicennam locis citatis.

DE RATIONE

Victus ſalutaris poſt inciſam venam, ad Armatum, Epigramma

ANASTASII.

VEnam, Armate, tibi, medici incidere, timenti
Neſcio venturi, qualia damna mali.
Nunc, quo vita modo, fuſo, peragenda, cruore,
Sitque diæta tibi, qualis habenda, rogas.
Illi, morborum dicant, Armate, periti,
Hæc non eſt, noſtra falce, metenda ſeges.
Non miſſum facis, & cupio ex te, audire diſerti.
Atque aliquid tua, quod Pieris, ornet, ais.
Accipe, quandoquidem nugas ad ſeria ducis,
Quæ facias, octo verſibus, octo dies.
Prima, cena, die, ſit miſſo ſanguine parca,
Lux abeat lætis aucta, ſecunda, modis.
Tertia; ſed placidæ debetur tota quieti:
Quarta, & quinta ſibi, mollius eſſe volunt.
Balnea, ſexta, petit: mox ſeptima colligit auras,
Fertque vagos, circum rura, nemuſque pedes,
Octava, amplexus dilectæ conjugis, & quæ
Ante fuit, vitam reſtituiſſe ſolet.

VICTUS, & CULTUS RATIO

Expoſita, quatuor, in ſingulos menſes, verſibus

PER

JOACHINUM CAMERARIUM.

JANUARIUS

Menſis amat, tepido, Jani, decurrere victu,
Et refici, grato, ſæpe, liquore jubet.
Vena tibi, nullos exudet, ſecta cruores;
Sed calida fas eſt, mergere corpus aqua.

FEBRUARIUS

Februa, olus, volucresque, cibis odere paluſtres,
Eſſeque inertifica febre, timenda ſolent.
Pharmaca tunc hauri, tunc ſcinde in pollice venam.
Et calido multum flumine, membra fove.

MARTIUS

Martius humores, & terræ, & corporis auget.
Tunc ratio eſt, puri, magna tenenda cibi.
Dulcia jam proſunt, acri condita ſapore,
Pharmaca non proſunt, venam aperire nocet.

APRILIS.

Frigore, vim, lente revocat, telluris, Aprilis.
Tunc etiam eſt tenuis, perque ſorata cutis.
Tunc intus ſunt, aucta magis, ſuntque omnia plena:
Solvere ſe venter, vena aperire jubet.

MAJUS.

Omnia jam florent, jam formoſiſſimus annus.
Jamque ſibi cuncti, mollius eſſe volunt.
Balnea nunc cole, nunc ſit pharmaca ſumere cura,
Et tibi, nunc, miſſo ſanguine, vena fluat.

JUNIUS.

Junius, & gaudet gelidis, & paſcitur herbis
Vivifico humori, tunc inimica fuge.
Lætitia, & recreet, tunc mentem blanda voluptas.
Affligat corpus, nec medicina tuum.

JULIUS.

Aeris ignifluos, intendit Julius æſtus,
Hoc, brevior ſomno, tempore, danda quies.
Balnea vitentur, nec venam tangere ferro,
Nec dominæ petulans, accubuiſſe velis.

AUGUSTUS.

Ipſe etiam Auguſtus, ſomnium reſtringit, & eſcas,
Et Veneris cupidos, gaudia ferre vetat.
Pharmaca nemo bibat, laceret, neque corpora ferro,
Nec gelidas intra, delicietur aquas.

SEPTEMBER

Poma dat, & gratos September, ab arbore fructus.
Tunc etiam, preſſo, paſcere, lacte capræ.
Pharmaca nil prohibet tunc ſumere, ſcindere venam,
Nec tuus, externum vitet aroma, cibus.

OCTOBER.

Octobri offertur venatio, vina, volucres:
Utere, nec dubites, non tenuiſſe modum.
Sic tamen, ut, ne oneres, nimio, præcordia victu;
Cumque modo ſtudeas, non tenuiſſe modum.

NOVEMBER.

Eſſe ſalutaris, perhibetur, mulſa Novembri,
Gingiber, & dulci fiſſile melle natans.
Tum neque ſæpe laves, Veneris ſacra, neque frequentes;
Ante, ſenex, tempus, ne videare tuum.

DECEMBER.

Juxta, menſe, focum, calidis utare, Decembri,
Tunc jaceant menſis, gramina nulla tuis,

Incidas, capitis defenſi a frigore, venam.
Cinnameoque tuus, fragret odore, calix.

LOCI ALIQUOT

Philippi Melanch. in lib. de Anima.

De moderatione cibi, & potus, item ſomni, & vigiliarum.

I. MOtus organorum hortatur ad temperantiam. Cum enim immodicè onerantur, non poteſt coctio perfici. Et vitia primæ coctionis, deinde, non poſſunt corrigi in aliis coctionibus. Quare cibo immodico ingeſto, cum ſit malus chylus, etiam poſtea, fit inſuave nutrimentum, & corpus, vitioſis humoribus impletur.

II. Traditur utiliſſima regula. Vitium prioris coctionis, non poteſt corrigi in poſteriore. Quare, cum ventriculus non facit ſuum officium, numquam fiet, ex crudo chylo, ſanguis bonus. Ideo intemperantes, qui non concedunt otium primæ coctioni, replent corpus vitioſis humoribus, fiunt pallidi, & proſternuntur vires ventriculi, ac deinde hepatis.

III Sæpe citatur dictum Hippocratis, in quo complexus eſt, & res utiles corpori, & earum modum, & ordinem : μο'νοι, σιτία, ποτα, ὕπνοι, παντα μετρια. Primum locum tribuit labori, qui propter multas cauſas, præcedere

cibos debet. Excitatur enim calor, ſuperfluitates conſumuntur, & expelluntur, quod utile eſt, antequam ingerantur alii cibi. Ut enim, ſi ad focum calefacias aquam, & jam ferventi, infundas frigidam, rurſus extinguitur calor, ita turbatur coctio, cum rurſus cibi, ac potus ingeruntur crudi: Id cavere jubet Aphoriſmus, τα καταρχὰ τῶν σομαχτῶν, ὅσω κυτρεφεις μᾶλλον βλαςψεις. Sunt autem utiliora exercitia, in quibus agitantur brachia, & thorax panditur, ut diſcutiatur ſuperfluitas in pectore, & pulmone, & motus, calorque diaphragmatis in ventriculo proſunt: Poſt cibum, cavendi ſunt omnes vehementiores motus corporis, cavenda, & vocis intentio. Tribuenda eſt enim quies ventriculo, amplexo jam cibum, quod cum agitatur, non poteſt integrè concoqui. Motus enim aperit orificium, ubi exhalant calor, & ſpiritus, aperit & pylorum, ubi crudus chylus ante tempus effunditur. Ac interdum, ſubitum exitium afferunt, illi vehementiores motus poſt cibum. Nec quiſquam eſt, qui non experiatur, ſibi tales contentiones nocere. Ita videmus, natura, etiam pecudibus, hunc ſenſum inditum eſſe, quietem ut ament, poſtquam paſtæ ſunt. Qualis eſt autem immanitas, homines prorſus contemnere ordinem a natura inſtitutum, utilem vitæ, & conſervandis non ſolum ventris, ſed etiam ingenii viribus? Eſt etiam quædam diligentia, quæ eruditos decet, cibi, & potus diſcrimina conſiderare, quæ juvent, aut offendant corpus, ut calidis, & ſiccis, minimè proſunt calida aromata, & pleniora vina. Ad ſomnum conciliandum, proſunt lactucæ, & cibi, ex amygda-

lis facti. Obſervet igitur quiſque, qualibus cibis opus habeat.

De Somno.

IV. Conducit quies ad recreandas tres virtutes: Ad rigationem cerebri: ad generandos ſpiritus, & ad perficiendum officium ventriculi, & hepatis. Vere igitur Ovidius

Is quoque, qui gracili, cibus eſt in corpore, ſomnus.

Et Virgilius

— *feſſos ſopor irrigat artus.*

Nam, cum coctio, rectè perfecta eſt, omnibus membris diſtribuitur nutrimentum, quod membra irrigat, gignuntur ſpiritus, qui novas vires addunt, & tamen æſtus corporis, ipſa quiete mitigatur: profunditur etiam corpus, quadam utili, & ſuavi rigatione ex cerebro. Recipit, & cerebrum vires, unde fiunt nervi vivaciores.

De ordine cibi, & ſomni.

V. Nec inanes ſuaviter dormiunt, nec immodico cibo onerati: Balnea antecedant cœnam, a cœna, exiguum ſit intervallum ad ſomnum. Molli ambulatione, cibus ex orificio ventriculi deſcendit, & orificium clauditur. Deinde, quies gratiſſima eſt ventriculo, ac primum in dextro latere cubandum eſt, ne hiet os ventriculi. Fit igitur, collecto calore, in ſomno, coctio, prohibetur cruditas, conſervatur calor naturalis, gignitur ſanguis ſuavior, ſequitur, & virium, & coloris bonitas.

Nec dubium eſt, certiſſimam eſſe perniciem virium, corporis, & ingenii, extendere vigilias poſt cœnam, in multam noctem. Quia non tantum cruditas ſequitur; ſed diſſipatur calor naturalis, langueſcit virtus ventriculi, gignitur ſanguis impurus, corpus, vitioſis humoribus repletur, ſequitur, aut cacochymia, aut macies, accedunt pallor, conturbatio ſpirituum, debilitas cerebri. Quare aſſueſacienda eſt juventus, non modo, ne convivia producat in multam noctem, ſed etiam, ut lucubrationes omittat principio noctis, nec tempus, ad quietem divinitus conſtituitum omnibus animantibus, transferat ad exitioſos labores.

VI. Eſt etiam opus, animi tranquillitate. Nam dolor cordis, item ſanguinis, ac ſpirituum æſtus, in metu, mæſtitia, ira, nimis intenta cogitatione, impediunt cerebri quietem, nec ſinunt cor vacare, huic actioni naturali.

POLYBUS

De Salubri victus ratione privatorum.

IOAN. GIUNTERIO ANDERNACO

INTERPRETE

PRivatos, hanc vivendj rationem ſequi oportet. Hyeme plus eſſe, minus bibere convenit.

Sed potioni, vinum, quidem meraciſſimum; eſui, panis exhibendus eſt. Carne potius aſſa, modicè oleribus utendum. Hujuſmodi namque alimentis, corpus, & ſiccum, & calidum evadet

At vere, potioni adijciendum; ſed paulatim tamen, & dilutius bibendum eſt. Cibo demendum, eoque molli, pulte videlicet magis, quam pane, magis oleribus utendum eſt. Eadem lege, tranſeundum paulatim, ab aſſis, ad elixa;

Æſtate vero, cibo minus duro, & elixis, & oleribus, tum crudis, tum coctis, potione multa corpus eget; cavendum tamen, ne magna, ſubito, dictorum fiat mutatio. Eo tempore, aptiſſima ſunt pulticula mollis, caro elixa, potio quamdilutiſſima. Atque hæc, ita obſervanda ſunt, ut corpus molle ſit, & frigidum. Nam in calido tempore, & ſicco, exuritur, ſqualidumque redditur. Itaque his rationibus tueri oportet. Pari autem modo, ex Vere in Æſtatem, ſicut ex Hyeme in Ver conſtituere, cibis demendo, adijciendoque potioni. Rurſus, ex Æſtate in Hyemem traducere, dum annus abſolvatur, expedit.

Per Autumnum, cibo, paulo pleniore, & ſicciore uti licet, minus, ſed meracius bibere. Quemadmodum, ubi Hyems bona contingerit, meraca etiam magis, & exigua potione, cibo pleniore, & vehementer ſicco uti. Ita enim, hoc frigido admodum, & humido tempore, optima valetudine frueris, minuſque frigus ſenties.

Quod ad habitus, & ætates attinet, plenis, mollibus, rubicundulis, ob temperaturæ humiditatem, ſiccior victus, ex uſu eſt, Gracilibus, duris, ru-

ſis, & nigris, humidior. Nam ejuſmodi corpora, ſicca ſunt, juvenibus autem rarior, & humidior, quorum ætas, ſicca eſt, & corpora magis induruerunt. Senibus, magna ex parte, ſiccior, aptus eſt. Siquidem humidi, molles, & frigidi ſunt. Proinde habita, & ætatis, & temporis anni ratione, vitæ modum inſtituere oportet, qui præſentibus, & calori, & frigori contrarius exiſtat. Sic enim potius ſani degemus. Per Hyemem celeriter ambulandum, æſtate conquieſcendum eſt, aut non in ſole ambulandum. Obeſis cita ambulatio, gracilibus, lenta convenit. Per æſtatem, frequenti balneo, hyeme, raro utendum eſt; idque magis tenuibus, quam plenis. Eo quoque tempore, corpus, veſte pura, per æſtum, vili lacerna velandum eſt.

Obeſi, qui graciles fieri cupiunt, labores univerſos jejuni ſubibunt, & ſudantes adhuc, necdum refrigerati cibum aſſument, vinum temperaratum, & non perfrigidum, prius bibent: æpulæ, ſeſamum, atque id genus alimenta, dulcia ſumpto, eaque copioſa. Sic enim, vel pauciſſimis bellariis ſaturantur. Semel in die cibus aſſumptus, rarum balneum, lectus per æſtatem, terra, hyeme, durum cubile, ſine veſtibus obambulatio, quanta maxime fieri poteſt, conducit.

Qui tenues ſe implere volunt, preter alia, quæ plenis, contraria facient, modice, jejuni exerceri debent.

Vomitu vero, & ventris dejectione, a medicamento petita, ſic utendum eſt: Sex hybernis menſibus, vomere utile eſt. Nam, & pituitæ plus, &

capitis gravitas ſubeſt. Adhæc, dolor præcordia exercet. Dejectionis, æſtate uſus eſt. Tunc enim æſtus, bilioſum corpus reddit, gravitates, lumbos fatigant, & genua, calore infeſtantur, ventris oriuntur tormina, & diſtorſiones. Jam vero, ſuperiores corporis partes, per inferiores purgandæ ſunt. Dejectio autem, plenioribus, & humidioribus, a medicamento magis ſalſo, ſiccioribus autem, & tenuioribus, & imbecillis, a pinguiore, craſſioreque petatur. Pingue igitur, & craſſum eſt lac, aqua ex cicere cocta, atque hoc genus alia: tenue, & ſalſum olus, aqua marina: reliquaque hujuſmodi: Vomitus, provocandi hoc pacto ſunt. Craſſiores, jejuni, & curſu, citaque ambulatione exercitati medio die vomere debent. Potui ſumant, hyſſopi ſeſquicyathum, aquæ congio intriti, eumque totum bibant, aceto, ſaleque adjecto, quo edulcescat. Primum lente, mox citius potandum eſt. Tenuiores, magiſque imbecilli, a cibo, vomitum ita movebunt. Loti calida, meri cyathos tres bibent, dein epulas varias aſſument, verum ſine potione: neque poſt has bibendum eſt, niſi tanto intervallo, quanto, ſtadia quatuordecim expedias, poſt, vinis tribus commiſtis utendum eſt, auſtero, dulci, & acri. Primum meracius, & modice, paulatimque bibere, poſtea dilutius, liberalius, & citius convenit. Qui vomere, bis in menſe vult, melius conſulet, ſi biduo continuarit, quam ſi poſt quintumdecimum diem vomuerit. Alii ſecus faciunt. Qui poſt epulas vomere volunt, vel quibus alvus adſtricta eſt, his omnibus, die ſæpius, varioſque cibos eſſe, tum vina bina, aut

terna bibere expedit. Quibus vomitus non eſt utilis, venter autem ſanus eſt, his, contraria ſuperioribus conveniunt.

Pueris, calida lavatio, longo tempore apta, eſt, vinum dilutius, neque omnino frigidum. Hoc autem exhibendum eſt, quod ventrem minimè attollit, perturbatque, & inflationes parit. Quæ omnia conducunt, ne confliĉtentur, ſed majores, coloratioresque fiant.

Mulieribus, ſiccior victus, ex uſu eſt. Etenim cibus ſiccus, potio meracior, carne mollibus, idonea eſt, ad hoc, fecundis, & fœtui nutriendo potior eſt.

Qui corpus exercent, per Hyemem currere, & colluctari debent. Æſtate luctandum modice, currendum nihil eſt. In frigore, multa ambulatio convenit. Qui curſu fatigantur, luctari debent. Qui ex lucta fatigationem ſentiunt, his currendum eſt. Quibus exercitatis, ventris profluvia oboriuntur, & cruda, incoctaque dejiciuntur, iis exercitiorum pars tertia, ciborum dimidia, prorſus demenda eſt. Quippe venter eorum, copiam continendo par non eſt. Ad hoc, panem, quammaximè aſſum, ex vino eſſe oportet, bibere vero, nimis quam modice, ſed meracius. Semper autem, poſt cibum conquieſcere, qui, ſemel in die, tunc aſsumendus eſt. Hac enim ratione, venter, ſibi commiſſa maxime conſovet, mutatque. Accidunt hujuſmodi profluvia, potiſſimum iis, qui ex victus conſuetudine, carnem denſam acquiſierunt. Nam venæ denſiores, alimenta non recipiunt. Atqui tales, in eodem habitu, ſubſiſtere diu non poſſunt; ſed in alterutram partem declinant.

Qui rariores cute ſunt, & hirſutis magis, carnis eſum ex facili admittunt, labores magis ſubſtinent, diuque, bono corporis ſtatu fruuntur. Qui cibos poſtero die eructant, & præcordiis dolent, iis veluti crudis adhuc cibis, diutius dormiendum eſt; novum genus laboris ſubeundum eſt. Vinum meracius, largiuſque bibere oportet, cibis uti pauciſſimis. Quippe conſtat, ventriculum, imbecillitatis, frigoriſque vitio, ciborum copiam, concoquendo par non eſſe. Qui ſiti premuntur, parcius edent, minuſque laborabunt, vinum dilutum, ſimul, & frigidiſſimum bibent. Quos, dolores viſcerum infeſtant, vel ex labore, vel alia quadam ambulatione, ſine cibis recreandi ſunt, modica potio convenit, maximeque ea, quæ moveat urinam, quo venæ, ex viſceribus prodeuntes, repletæ, non diſtendantur. Nam hinc inflationes, febresque oriuntur. Quibuſcumque vero, morbi a cerebro fiunt, torpor, primum caput occupat, & frequenter mingit æger, & reliqua velut in orinæ ſtillicidio perpetitur, atque hæc ſane, ad dies novem patitur.

Et ſi quidem erumpat per nares, aut aures, aqua, ſive mucus, a morbo liberatur, & urinæ ſtillicidium ſedatur. Mingit autem multum, & citra dolorem, idque album, donec viginti præterierint dies, & capitis dolor hominem relinquit. Intendenti autem oculos, ſplendor occultatur. Porro virum prudentem, id ſecum reputare oportet, quod res prætioſiſſima, eſt ſanitas, & proinde ſcire, ut ex ſuo ipſius conſilio, in morbis utilitatem percipiat.

FINIS.

SANITATIS TUENDÆ METHODUS

In gratiam omnium, qui minus exercentur, tam ex optimis auctoribus, quam ratione, ac fideli experientia: carmine elegiaco

P E R

D. GEORGIUM PICTORIUM *WILLINGANUM*

Doctorem Medicum, & apud Cæſaream Curiam Enſisbemiam, ſuperioris Alſatiæ, Archiatrum, diligentiſſime in unum conſcripta.

CAP. I.

DE AERE

Prima re, non Naturali.

BIS ternas numerant, genuit, quem corduba princeps,
Res, ſine qua, ſanus vivere nemo poteſt.
Harum prima datur, circumdans corporis artus,
Aer, quæ reliquas, vincere quippe ſolet.

Canon.

Affectans igitur, multos numerare Decembres.
Aeris attentet, cum ratione ſitum.

Aer frigidus vitandus.

Atque, nimis gelidum fugiat, dum torpida membra,
Hic facit, obledens pectoris ima quoque.

Et calidus.

Et calidum Veneris, ſeu Martis ſydere tactum,
Debilitas talis, namque diaphoreſis.

Temperatus eligendus.

Eligat, aſt medium, nullis fœtoribus actum.
Stagna, lacuſque putres, ſtercora quique cavet.

Aer malus corrigendus.

Exceſſum poterit, ſi non vitare, ſolerter,
Corrigat hunc, artis conlimitata manus.

Qua arte corrigendus.

Et gelidus quum ſit, tepeſcat prunis, ſine fumo.
Si caleat, mutent hunc, roſa, myrtha, ſalix.

Qua arte, quoque fœtidus.

Sicque, paludoſo fimo, ſeu ſtercore fœtens,
Ardens Vulcanus, noxia damna levat.

Aer bonus, & malus.

Exin quiſque notat, poterit, quod noxius aer
Damna dare, & ſalvus, commoda multa quoque

CAP. II.

DE CIBO, ET POTU.

Secunda re non naturali: in primis tamen de canonibus, cibando notandis, decem.

Canon primus.

NON eſt mandendum, ſano, niſi ſciverit ante,
Ingeſtos, ventrem, devacuaſſe cibos.

Nam damnum credat, quo vix præſentius angit,
Quando indigeſtis, additur eſca cibis.

Fames cavenda.

Neque cibum tardet, dum vult curaſſe ſalutem,
Nam vacuus venter, phlegmata craſſa trahit,

Cibus bene maſticandus.

Si bene comminuunt dentes, modo fercula, ſani,
Dixerit, immenſum concelebraſſe bonum.

Qui cibi præmittendi.

Eſcas perfaciles coctu, præmittere cautus.
Debet, ſed duras, ultima menſa habeat.

Cibi delectus habendus.

Non comedat, quicquid, cupidi, vis improba ſuadet
Ventris; ſed debet prælimitare cibos.

Non diu, ad menſam ſedendum.

Supplicium dirum præſtat, ſemperque cavendum,
In menſa longam, continuaſſe moram.

Quando parce ſumenda cœna.

Cœnam continuet parvam, cum Syrius ardet,
Nox iſtud ſignat; nam brevitate ſua.

Quando large ſumenda.

Majorem ſumpto, ſole ingrediente Sagittas,
Quum nox ſubluſtris, longior eſſe ſolet.

Quid ante, & poſt cibum faciet.

Ante cibum, aniſum, confecta cydonia proſunt
Saccaro, poſt menſam, caſeus, atque recens.

Dentium habenda ratio.

Si cupias dentes ſalvos, tu coilue lympha:
Sæpe etiam gelida, maxime poſt epulas

C A P. III.

D E P A N E.

NON minus, Cereris calidum permittat ad eſcas
Sanus; fermento ſed bene congenitum.

De pane opiro.

Eſt quidem opirus, facilis laborantibus, atque
Proritat is alvum, nec bene membra fovet.

Panis de ſimila.

Furſure; ſed mundus, ſanos hic paſcit, & ægros.
Ac faciles aditus, membra ad alenda trahit.

C A P. IV.

DE CARNIBUS QUADRUPEDUM.

Quæ caro eligenda.

NUtritiva caro eſt; lateris ſed portio dextri
Plus confert menſæ, gratior, eſtque cibus.

De pingui, & toſta

Exitus eſt facilis pingui, ſed nutrit edentem
Parum, toſta quidem, vix bene digeritur.

De bubula, & caprina.

Bos reddit duram, cunctis quos cocta polenta
Nutrit proficuam, ſed caper inutilem,

De carne ſuilla.

Sus calidam & udam, multum ventrique rebellem,
Ni juvenis fuerit, quæ ſolet eſſe bona.

De bœdina, & agnina

Hœdus fert primas, agni magis, humida ſemper
Eſt caro; ſed ſtomaco, fit levis, iſta bono.

De Veruccina

Vervex, qui paucos, viduatus teſtibus, annos
Enumerat, menſæ convenit, ecce ſatis.

De vitulina.

Exornet vitulus, magnatum prandia, fortis
Vuida, cui ſapido, juncta tempore, caro eſt.

De aprina.

Dat aper in hyemem catulis, modo captus, edacem
Carnem, quam condit, nigrior ecce piper.

De capreolina.

Sucei eſt optati juvenis capreolus, atque
Fomentum optatum, dat maculoſa fera.

De damulina.

Damula, jam primum, matris ab ubere rapta,
Eſt lautis ſemper, gloria magna cibis.

De bubulina.

Bubulus eſt minax, inter pulmenta Luculli
Non teneat laudem; ſed juga dira ferat.

De cervina.

Si timeas nigram bilem, vitaſſe memento
Alipidem cervum, maximè, ſi vetulus.

De leporina.

Impiger, atque lepus, ſanguen ſubinde comeſtus
Fulua, equidem, bili commaculare ſolet,

De urſina

Mellivorax urſus, capræ inſtar ſemper olentis.
Producit carnem, pernicioſa fera.

De cuniculina.

Gaudet in effoſſis, habitare cuniculus antris.
Fercula, qui præbet, fermè imitata gluten.

De carne herinacei.

Eſt ſtomacum paſcens herinaceus, ilia mollit:
Convenit ictericis, laxaque membra juvat.

De gliris carne.

Glis, hyemem totam dormit; ſed capta, nigella,
Interdicta gulæ eſt; noxia namque vorat.

Lupi caro.

Atque lupos, Zephyri populus, tranſmittit in orbem,
Menſæ, qui truces, commoda nulla ferunt.

Caſtoris caro.

Amphibius caſtor, guloſos condecet omnes,
Namque nihil ſanos, corroboraſſe poteſt.

Lyncis caro.

Lyncas mammoſas, Nilotica terra tuetur,
Ex illis, nullus, prandia certe parat.

C A P. V.

DE ANIMALIUM QUADRUPEDUM

Partibus.

Quadrupedum effodias oculos, cerebella volucrum,
Uda nimis, calidum, ni piper addis, erunt.

De collo, & jecore.

Colla, jecurque calent; collum ſed fortius humet
Gallina, anſer, anas, mollius hepar habent.

De

De pedibus, & alis.

Pes placet anterior; ſed non minus ala probatur:
Ineſt namque illis, maxima temperies.

De renibus, pulmone, ventre, & corde.

Nos, volucrum aereos renes, laudare conamur,
Pulmonem, ventres, ſiccaque corda nihil.

Et de alijs volatilium partibus.

Pectore anas, teneris alis, gallina probatur:
Anſeris, his, tumidum, ſi ſapis, adde jecur.

CAP. VI.

DE CARNIBUS VOLATILIUM.

De galli carne.

GAllus, qui Veneris, furtiva incendia tractat,
Ingratam carnem, continet, ac aridam.

De carne caponis.

Aſt Cybeles gallus, viduatus teſtibus iſte
En pariet turpi, fercula prima, gulæ.

De carne gallinæ.

Inter criſtatas, ovorum, certe parentes
Nigra tenet primas, humiditate bona:

De carne anſeris.

Et calidam, & ſiccam reddit fluviatilis anſer,
Carnem: quam, ventri, credimus eſſe malam.

Anatis caro.

Anſeribus magis ardet anas, præſtantior alis,
Narratur; ſtomachum; ſed gravat ipſa bonum.

De eadem.

Tota quidem ponatur anas; ſed pectore tantum
Et cervice ſapit, cætera redde coco.

De carne columbi.

Et ſtomacho ignito, multum nocet ecce columba.
Poplitibuſque ægris, ni juvenis fuerit.

Turturis caro.

Horreat, & menſas turtur, cythareius ales.
Nam medicas artes condecoraſſe ſolet.

Palumbi torquati caro.

Inguina, torquati tardant, hebetantque palumbi.
Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.

Perdicis caro.

Et regum lautas, ornat Sodomitica perdix
Cœnas, quæ didicit prima fovere jecur.

Phaſiani caro.

Atque phaſim, cunctas volucres ſuperare putamus.
Nam levis eſt ſtomacho, gratior, eſtque cibus.

Ciconiæ caro.

Eſt in Germanos concepta ciconia luxus.
Ipſa, licet paſcat, qui nocuere, cibos.

De ibidis carne.

Sufficit, & meriti, ſat eſt, quod mantica mollis
Ibidis inventum eſt, prandia fugat avis.

De pavone.

Antonius laudat cerebrum, Vitellius atque.
Aulus, pavonis; ſed Cleopatra quoque.

Gruis caro.

Grus cum Pygmeis certet, deſeratque culinas,
In ſe namque tenet, fercula nulla, gulæ.

De carne alaudæ.

Et galeata quidem eſt bona, ſi præpinguis, alauda,
Datque ſalutiferas, ad tua pocla dapes.

De turdi carne.

Igneus ardor ineſt turdis, languentibus ægris

Ingratus, gratum, quem vero bacca facit.

Murali caro.

Eſt pingui merulo major, mihi gloria credas,
Quam turdo; carnem nam tenet ipſe levem.

Cothurnicis caro.

Cothurnix, quamvis ſit, in regalibus, ingens,
Delicium; tamen eſt ſenſibus, ipſa mala.

De ficedula.

Ficedula ſine, & veſcantur dulcibus uvis.
Aut raptæ cantent, ſtridula voce, melos.

De paſſere.

Ardet, & in ſicco paſſer, duriſſimus ales.
Si cupis eſſe ſalax, is cerebella dabit.

De luſcinia.

Artis contextum cantat luſcinia pernox.
Sit igitur cantrix, regibus ipſa ſuis.

De hyrudine.

Vernalis volucris, nidos ſuſpendat hyrundo
Ad nos; ſed fugiat prandia noſtra procul.

De pſitaco.

Pſitacus ille, plagæ, viridis regnator, Eoæ,
Condidicit per ſe dicere, Cæſar ave.

Caro ſturni.

Auditas, didicit ſturnus, modo reddere voces,
Igniti, & nocui; ſed mihi crede cibi eſt.

De carne corvi.

Et corvus, neſcit magnatum, viſere cænas,
In cruce quærit, prandia lauta, ſibi.

De cornicis carne.

Quæque refert vivax iterata vocabula cornix,
Nec ſatiat raucam, carnibus ecce, gulam.

De vulture.

Eſt volucris vultur, dicunt, quam noſſe cadaver,
Tres luces, præbet fercula nulla tibi.

De bubone.

Ingnavus bubo, dirum mortalibus omen,
Mandat, in umbroſis, fœtida quæque, locis.

De carne mergi.

Mergus, anas dictus, quod ſe mergendo, cibare
Conſuevit, carnes, anſeris inſtar habet.

De conficiendo ſapore ad carnes, ex herbis.

Sume apium, porrum, coriandrum, ſemen aneti.
Cum toſtis nucibus, adde ſelina, thymum.

C A P. VII.

QUIBUS AROMATIBUS

Pro ſanitate conſervanda utendum.

De cinamomo.

CInnama jactat Arabs, multum redolantia, namq;
Et jecur, & renes, putreque pectus alunt,
Tædia matricis tollunt, tremuloſque lacertos
Confortant, ventrem, & corroborare queunt.

De pipere.

Eſt calidum in quarto, ſiccum piper, atque ſecundo,
Quod nervos ſiccat, phlegmata, quodque trahit.
Quodque acuit ſtomachum algentem, quod tormina ventris.
Tollit; ſed caveas, ſi tibi bilis ineſt.

De croco.

Si mala ſunt capiti, ſegnes, turbantia ſomnos,

Dant rubei ſlores, pharmaca magna, croci;
Atque croco gaudet venter, ſeu triſtia corda.
Hocque ede, ſi riſus expetis aſſiduos.

De zinzibere.

Ignitum, ſtomacho algenti, fit zinziber ingens
Antidotum, ſiccat phlegmata craſſa ſimul:
Hoc odiſſe Venus potuit; ſed ſolvere ventrem
Uſque ſolet, condit zinziber, atque dapes

De nuce muſcata.

Glandes muſcatas fert India, certe rubentes,
Veſica, his patula eſt, has fluida alvus amat.
Et ſtomacho, jecori vitiato, ſpleni, & ocellis
Subveniunt, glandes, & caput ecce juvant.

Gariophillum.

Dejectum ſtomachum; reparant gariophila multum;
Aethiopes donant, quæ tibi larga manu:
Hæc bene calefaciunt præcordia, tormina ventris
Excludunt, flatus, quum male vulva tumet.

C A P. VIII.

DE SEMINIBUS, ET BACCIS,

Quæ ars culinaria pro ſanitate obſervat.

Cuminum.

OBſervat ſanus campeſtria grana cumini,
Nam ſtomachum, & lumbos fortificare queunt.
Atque remollitum ſubducere certe papillum.
Urinæ norunt, trita; ſed exhibita.

Fœniculum.

Et maratri ſemen, ſætæ cum lacte capellæ

Abſumptum, ventris turgida quæque levat.
Cunctantiſque moras diſſolvere protinus alvi.
Fertur, & e lumbis comminuit lapidem.

Aniſum.

Et facit aniſi ſemen; ſi caumate languet.
Cor ſanum, manſum pellit, & iliacam,
Cum vino tepido compeſcit tormina ventris.
Hoc, guttur raucum, comprobat, atque nimis.

Coriandrum.

Frigida vis multum; coriandri dicitur eſſe,
A cœna ſumptum, hoc convenit ecce ſatis:
Xenocrates ſcripſit, totidem ceſſare diebus.
Menſtrua, quot mulier antea grana vorat.

Papaver.

Sperma cum vino, bibitumque papaveris albi.
Dicitur, hoc, fluxus ſtringere poſſe malos:
Somnum dat facilem ſemen; compeſcit iniquam
Tuſſim; ſed lædit, turgidulos oculos.

Sinapis.

Exacuit ſenſus, purgat quoque phlegma ſinapis,
Sternutamentis, ſi modo juncta fuit.
Semina, Pythagoras, interque maxima dixit,
Extulit hæc multum, dummodo parce ſumas.

De juniperi baccis.

Juniperus baccas profert, tutiſſima cunctis.
Pharmaca, guſtarunt toxica, quive virus.

De baccis lauri.

Menſtrua ſubducunt, lapidemque epota reſolvunt
Fructus laurini, pectora mundificant.

C A P. IX.

DE HERBIS

Pro ſanitate uſualibus.

De mentha.

Vim calidam, ſiccamque gradu, fert mentha ſecundo,
Quam ſtomachus languens, maxime adeſſe cupit:
Et quam, concretum lac, ſolvere dicimus omne
In mammis duris, ſi ſuperimpoſita eſt.

De ruta.

Ruta quidem, occultum fertur reſecare venenum.
Quod Mithridates ponticus, eſſe docet.
Hoc nervos, ſchiaſimque juvat, febribuſque medetur
Et confert luſcis, maxime luminibus.

De lactuca.

Utilis eſt ſtomacho lactuca, remollit, & alvum.
Candidulum, ac ſemen, ſomnia vana lenit:
Tempore quum vernat, vel quum bene Syrius ardet
Gratior eſt eadem; ſed Venus ipſa perit.

De ſpinuchia.

Spinachiam comedas, ſi mollem, proijce primum
Jus, ſtomachis poterit, ſic minus eſſe mala.
Hæc lenit in primis, multum præcordia dura,
Et fert clamoſis, commoda pleureticis.

De caule.

Caulis Romana, Græcorum, braſſica, lingua
Dicitur, hæc ventris poſſe linire moram;

Atque omnes narrant, caligine lumina tergi
 Ejus, qui caulis, comedit ecce comas.

De cappare.

Capparis, & folio, flore, & lactare palatum
 Dicitur, & ſplenem poſſe juvare ſatis.
Atque jecur clauſum, valeat referare potenter,
 Veſicæ, & patulas, reddere poſſe vias.

De borragine.

Herbula, quam Græci dixerunt melliſophillon.
 Borraginem noſtri, dentibus antidotum eſt.
Lumina purgari caligine, Plinius inquit,
 Illius ſucco, perlita ſi fuerint.

De ſalvia.

Salvia miſcetur vino, potata, querelis
 Prodeſt, ſic jecoris, menſtrua, ſicque lenit.
Trita venenatos juvat, & ſuperaddita morſus,
 Eſtque ſalus tremulis, ſalvia poplitibus.

De ſamſuco.

Exornat quoque ſamſucus perfecte culinas.
 Herba quidem mollis; ſed bene grata cibis.
Quæ tumidis, referat multum, ſpiracula ventis
 Hanc cui ſit matrix ægra, puella colat.

De ſerpillo.

Serpillum, miſcere cibis, languentibus eſt mos,
 Compeſcit ventris tormina, namque mala,
Aegroti capitis ſolet, & ſedare dolores,
 Urinas ducit, menſtrua purgat item,

De bethonica.

Bethonica, immodicum, ventris ſedare dolorem,
 Dicitur, a cœna, ſi modo ſumpta ſiet:
Plinius hanc inquit, qui ſecum geſſerit herbam.
 Illi, nec poterunt, ulla venena dari.

De arthemiſia.

Admiſsas, revocat arthemin, certe ſecundas
Fœmineas; etenim menſtrua coƈta ducit:
Urinam potata ciet, lapideſque repellit;
Pellit abortivum, ſubdita fœmoribus.

De marrubio.

Marrubij, varies compeſcit potio, morbos
Peƈtoris, hoc tuſſim ſanat, & aſthmaticos.
Accelerat partus duros, pellitque ſecundas,
Et juvat iƈtericos, vulnera mundificat.

De portulaca.

Pæonias artes, ſi vis negligere, ſpernas
Adrachnen, ſtomacho, quæ ſolet eſſe mala;
Fervorem ſolis tamen, hæc comeſta nocere
Non ſinit æſtivum. Plinius ut docuit.

De abſinthio.

Conſtat, terribiles, abſinthia poſſe dolores
Pellere, citrinos, ecce potata juvant.
Et ſinuant ſtomachum, mira virtute, ſolutum;
Anginam pellunt, faſtidiumque levant.

De aneto.

Aſſidue bibitum viſui nocet, & genitale
Claudit iter, ventri, nec bene conveniet.
Ulcera; ſed fertur membri curare virilis.
Et dare, quod nutrix munera laƈtis habet.

De eruca.

Si condituris, cocus, hanc admiſceat herbam
Erucam, multum præſtat aroma, cibis.
In venerem lentos roborat, quæ certe priapos,
Quæ tuſſim pellit, cum bene manſa fuit.

CAP. X.

DE RADICIBUS.

Et Tuberibus, menſæ adhibendis.

De raphano.

RAphanus, in dentes, caput, & bona lumina ſævit.
Atque hinc, ventriculus nauſeat aſſidue
Hic facit, ac olidos ventris quoque maxime bombos,
Eſtque potens, virus pellere lætiferum.

De rapa.

Rapa quidem calida eſt, & corpus reddere poteſt
Obeſum, felix humiditate ſua:
Aſt ventris bombos, niſi vitare ; laboras,
Adponas rapis pinguia jura tuis.

De cæpis

Fellitis non eſſe bonas [ait ipſe Galenus]
Cæpas, phlegmaticis, ſed bene proficuas,
Affirmant omnes, manſas inferre ſaporem,
Et tremulis membris reddere poſſe robur.

De allio.

Allia, qui mane, jejuno ſumpſerit ore,
Hunc infecta nequit lædere lympha quidem
Pulmonis, varias, coctum, cum lacte, quærelas
Proſcribit tumidos, & juvat hydropicos.
Radicem betæ comedas, ſuper igne peruſtam,
Non urinam reddent, allia ſumpta, gravem,

De tuberibus

Inſint conviviis madentia tubera rore

Mixta ſint iu noſtris, ut Venus ipſa, jocis:
Sunt faciles ſtomaco, ſunt adducentia chymos
Uſque bonos; addas ſi piper in copia.

De *fungo*.

Lepra quidem terræ eſt, credas mihi; fungus, & iſte
Urinæ velox impedit ecce vias,
Et facit, ut ſanguis corruptus corpora tangat
Udus, qui nimium, febricitare docet.

CAP. XI.

DE LEGUMINIBUS

Ad cultum popinarium conferentibus.

CANON.

OMnia (crede mihi) flatuoſa legumina ſemper
Cortice depoſito; ſunt magis apta tamen.

De *faba*.

Humorem craſſum, fabas progignere conſtat:
Hanc fuge, ſi placidæ ſomnia noctis amas;

De *cicere*

Cortice poſtpoſito cicer, in jecur, atque lienem,
Veſicam, & reſerat, ſed facit hoc venerem.

Lens.

Datque melancholicos tibi lens, mihi crede liquores,
Et nervos duros, reddere quippe poteſt.

De *lupino*

Lumbricis mors, eſt pleno jecori, atque lupinus;
Et præſentis opis, renibus eſſe poteſt.

De oriza.

Candida ſi jungas, ſtudioſe & amygdala lacti;
Ad menſam lautam, tunc, & oriza facit.

De miliis.

Atque melancholicos faciunt in corpore rores;
Vendicat hæc vilis, ſed ſibi ruſticitas.

De avena.

Scribit Oribasius Juliani Cæſaris altus
Auctor, ut avenas, qui male vivit, edat.

CAP. XII.

DE LACTE, BUTYRO,

Caſeo, ſale, oleo olivarum, melle, & ovis.

LAC, nocuum capiti eſt, putridis, & febribus, iſtud
Sed præſtat capræ, poſt ovis, inde bovis.

De butyro.

Lac dabit aerei tibi, condimenta butyri,
Quod facit, ut ſapiant, fercula cuncta tibi.

De caſeo.

Caſeus ante cibum confert, ſi defluat alvus,
Si conſtringatur, terminet ille dapes.

De eodem.

Caſeus ad fundum ſtomachi, bene fercula trudit,
Vim digeſtivam, nec minus ille juvat.

De eodem.

Si novus, impinguat, ſiccat vetus, attamen ambo
Et capiti, & ſtomaco, pectoribuſque nocent.

De eodem.

Si ſtomacus languet, vel ſi minus appetit ille;

Fit gratus ſtomacho, conciliatque cibos.

De Sale.

Exornat regum menſas ſal, cætera vincit
Condimenta, cibos ſal facit eſſe bonos.

De oleo olivarum.

Abſque oleo, lactuca quidem condita, ſaporem
Inſipidum præbet, mollit, & ſtomachum.

De melle.

Pectoribus, ſtomacho frigenti, aptiſſima mella
Flava quidem, ut narrant, ſunt magis apta gulæ;

De ovis, quæ optima.

Regula Doctorum jubet, hoc pro lege teneri,
Quod bona ſint ova, parvula, longa nova.

Ova tremula.

Mollia pectus alunt, tuſſim ſedantia raucam,
At durata time, nec diuturna placent.

C A P XII.

DE SECUNDARUM MENSARUM APPARATU.

De malis.

COrda juvant flammis agitata, at noxia ventri
Mala quidem, nervis hæc nocuiſſe patet.

De *pyris.*

Et vacuum ventrem aſtringunt, modò pyra repletum
Solvunt; iliacam ſed peperiſſe valent:

De perſicis.

Perſica ſicca tenent ventrem, quæ mollia ſolvunt,
Ardenti ſtomacho, ſunt bene fida tamen.

De prunis damaſcenis.

Prunaque conveniunt, quæ mittit clara Damaſcus,
Namque ſolent, duri ſolvere ventris onus.

De prunis.

Aſtrictam ſolvunt alvum; ſed pruna repoſcunt,
Prandia prima quidem, dum calor eſſe ſolet.

Cerasa.

Acria confortant ſtomachum ſi ſole peruſta,
Ceraſa, Lucullus, quæ intulit Italiæ.

De ficu.

Si nova ſit ficus, nocua eſt: nam fluxibus apta.
Narratur, ſiccæ ni ſociata nuci eſt.

Cydonia.

Ad finem menſæ, confecta cydonia proſunt;
Nam ſtomachi claudunt, clauſtra benigna, tui.

Cydonia.

Cum tibi Cecropio confecta cydonia melle
Ponuntur, ventrem claudere certe queunt.

De Avellana.

Pontica nux capiti nocet, & tardiſſima ventri eſt,
Maximè, quæ umbroſis naſcitur in corilis.

Arbita, ſorba, meſpila.

Arbuta, ſorba, tenent fluidos, & meſpila ventres,
Si vacuus ſtomachus ſumpſerit illa ſimul.

Amygdala.

Fervet, & emollit, ſi dulcis, amygdala amara, eſt
Aſperior, menſas neſciat illa tuas.

Pinea.

Inteſtina fovet, nervis, rubeoque lapillo
Subvenit, & Veneri pinea grata deæ eſt.

De nuci communi.

Nux caput obtundit, linguam convulnerat, & nux

Pulmonem lædit, ſed virus omne necat.

De caſtanea.

In caput, ventre, caſtanea, fertur, echino,
Tecta, ſuperbire hæc; nam calet igne nimis.

De malis punicis

Dulcia ſunt madidi roris ſicci acria poma'
Punica pulmoni, hæc ſunt mala; at illa bona.

De malis punicis.

Acribus eſt gelidus, ferveſcens dulcibus humor,
Dulcia guſtantem pervomuiſſe volunt.

De uvis.

Quam nigram guſtes, quæ ſit tibi gratior uva,
Nève inflet, ſoles ſit remorata duos.

De uva paſſa.

Paſſa jecur roborat, facit & quod fœtida ventris
Merda tibi nimium, non grave pondus erit.

De prunibus ſylveſtribus.

Frigida ſunt, vomitumque tenent ſylveſtria pruna.
Multum condenſant ubera, longa quoque

Poma nerantia

Omnibus ecce nerantia ſunt gratiſſima odore,
Dulcia confortant, pectoribusque favent.

C A P. XIV.

QUALITER, ET QUALE VINUM

Pro ſanitate cuſtodienda bibendum. De modo bibendi.

SÆpe bibas, ſemperque parum, ſi vivere ſanus.
Ipſe cupis, pocla fraxina ſunt bezoar.

Qua virtus ſit vino.

Corda juvant vini calices, ſubitamque reportant
Lætitiam, vinum ſi moderate bibas.

Vinum quod optimum.

Si tibi delectum vini preſcribere tentas,
Subrubeos, primas crede, tenere cades.

De vino albo.

Hinc albo palmam tribuunt; ſed maxime claro.
Aetatis; mediæ nam nova muſta nocent.

De forti vino.

Fortia diſturbant, nimiumque fluentia vina.
Senſus corrumpunt, ventriculumque bonum.

De muſto.

Impedit urinam muſtum, cit ſtercora ventris,
Hepatis emphraxim deſtruit, atque bonam.

De aqua.

Potus aquæ lædit ventrem, facit atque cruores
Crudos, ſic princeps Corduba quem genuit.

De dulci vino.

Sunt nutritiva plus dulcia candida vina
Sed jecur obturant, non bene tuta gulæ.

De vino roris marini.

Phtiſicis antidotum eſt, vinum de rore marino;
Confortat viſum, cuncta venena fugat.

De vino boragineto.

Dat tibi borago vinum, quod curat amentes,
Cardiacam tollit, lætitiamque facit,

De vino enulato.

Si bibitur, movet urinas ex enula Baccus,
Tuſſim compeſcit, pectoribuſque valet.

De vino ex hyſſopo.

Ex hyſſopo latices patientibus, ecce catharrum,
Proſcribunt, pectus mundificare queunt.

De vino ſalviato.

Salvia cum vino, jecori, potata, querelis.
Prodeſt, & purgat menſtrua ſola nimis.

Canon de vinis.

Ex herbis vinum, caput ad, poſt fercula guſtes
 Ad jecur, & renes, venter inanis amat.

C A P. XV.

DE RE TERTIA

Non naturali, quæ eſt motus, & quies.

LAtonidis, ni forte cupit guſtaſſe liquores
 Sanus, Phyllirides pocula quæque tenet.
Sedulus accingat corpus pro temporis uſu,
 Hæc exercitium poſtpoſuiſſe velit.

Exercitij utilitas.

Augens innatum recreat, quod certe calorem,
 Et gratam noſtris viribus, at ipſe.

Ante cibum ambulandum, poſt quieſcendum.

Ante cibos igitur moderatis greſſibus uti
 Convenit, a menſa; ſed juvat ipſa quies.

Tempore æſtivo, & hyemali quid.

Ambulet a cœna, ſole ingrediente leonem,
 Eligat, & focum, dum bene Capra nitet:
Quod motus valeat, Peligni carmina vatis,
 His verbis pandunt, quodve quies valeat.
Cernis, ut ignavum corrumpant ocia corpus,
 Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ.
Quod caret alterna requie, durabile non eſt,
 Hæc reparat vires, feſſaque membra juvat.

CAP. XVI.

DE QUARTA RE

Non naturali, ſomno, & vigilia.

Exceſſus ſomni nocet.

EXceſſum ſomni fugiat, qui corpore ſalvus
 Eſſe cupit, morbos, ſeu pepuliſſe graves.

Somnus ſit ſeptem horarum.

Et ſeptem horarum ſomnum ſufficere credat,
 Qui mentem, & corpus corroborare queat:
Longior, humectat cerebrum, torpedine corpus
 Inficit, & frequens, rheumata multiplicat.

Quando longior eſſe poſſit.

Aſt prælibatas, ſi quis cognoverit eſcas
 Duras, tunc ſomnus longior eſſe poteſt.

Pronus, & ſupinus lædunt.

Ut pronus lædit ſomnus, ſic atque ſupinus
 In dextram facilis; ſed bene proficitur.

Neque vacuo, neque repleto ſtomacho dormiendum

Et dormire, ſuper vacuum mirifice, ventrem
 Lædit, repletum nec petit, atque ſopor.
Primum, virtutes, nam deſtruit, ecce benignas
 Sed ſubeth, aut phreneſim congenerat aliud.

Qui longo ſomno perfrui queant.

Hos juvat immenſum ſomnus, quos arida craſſi
 Nutrit; ſed pingues plus vigilaſſe juvat.

A menſa non dormiendum.

A menſa ſomnus caput aggravat, & facit illu

Rheumate farciri convitiente jecur.

Somnus pomeridianus nocet.

Cumque pari ſpacio collucent veſper, & ortus,
Abſtineat ſomno, qui valuiſſe cupit.

Crebræ vigiliæ damno ſunt.

Et velut exceſſus ſomni, mala damna miniſtret,
Sic vigilem nimium, damna tuliſſe patet.
In medio eſt igitur virtus, tenuere beati
Nam medium, medium Penſitat ipſe Deus.

CAP. XVII.

DE REPLETIONE

Et inanitione, quinta re non naturali.

LAmpade phœbea, jam prætereunte leonem,
Cumque pares horas enthea libra tenet.
Aut quando in tignis nidum ſuſpendit hyrundo
Is marium, & pellex Attica plorat Itin.

Tempore varis minuendus ſanguis.

Incidere venas, & ventrem ſolvere prodeſt.
Congenitus ſuperet, ne male corpus, humor.
At bene notandus ſitus eſt membri, atque figura;
Gaudent nam antidoto ſingula membra ſuo.

Cor ſtomachi per vomitum.

Cor ſtomachi vomitu purgandum eſt, pectore ſano,
Tempore non gelido, ſole nitente canem.

Hepar per inteſtina purgatur.

Inteſtina volens proſcribere, mittit hepar, quod
Aſimis, mictum; ſed bene gibbus amat.

Cerebrum per naſum.

Per naſum cerebrum purgatur, ſive palatum,
Pectus per tuſſim, per leve pulmo ſputum.

Intercutanea per ſcarificationem.

Atque diaphoreſi, ferroque, vel igne latentem.
Chymum pirgamus, quem tenet ipſa cutis.

Bombi ventris non retinendi.

Ac olidos ventris bombos exire jubemus,
Incluſi, morbos, qui generare ſolent.

C A P. XVIII.

Coitus moderati commoda.

SPumigenæ Veneris, quandoque incendia proſunt,
Si non exceſſus, damna tuliſſe velit.
Nam tumidos renes curant, calor intimus inde
Firmatur, multum ſydereumque caput.
Expellit curas, iram contundit, amantem
Reddens audacem, mox ſatiata Venus

C A P. XIX.

DE BALNEIS,

Et balneandi methodo.

Thermæ, male affectis, bonæ.

BAlnea morboſum recreant, ſulphurea corpus;
Aſt eadem ſanum, pertimuiſſe velit.

Quando pingues, & obæſi balneandi.

Corporis obæſi, vacuo ſi ventre ſaburra,

Sed tenues, plenò, recte lavare ſolent:

Balneum gelidum; & tepidum.

Si gelida ingrederis, roboras [mihi crede] calorem;

Balnea, ſed tepida, ſunt fugienda tibi:

CAP. XX.

DE FRICATIONE

Cum membra non moventur:

Frictio motum ſupplet.

IN cunctis natura potens, ſapit, ægra, moveri
Corpora cum nequeunt, frictio prompta ſubeſt,

Frictionis utilitas:

Senſus, quæ nutrit, calor; ex qua creſcit amicus;
Et firmat melius, languida membra ſimul:

CAP. XXI.

DE ACCIDENTIBUS

Animi, Sexta re non naturali:

QUi cupit Euboicæ, vatis, complerier annos,
Delicias tractet, gaudia, mille jocos,
Lætitias, riſus, ludos, dulceſque cachinnos.
Nam ſanum exanimant, ira; metuſque graves:
Nodoſas rerum cauſas, ac alta reliquant
Necque velit mentem, ſollicitaſſe nimis;

FINIS

INDEX

verſuum, ſive principiorum cujusque capitis operis univerſi.

A

	tom.	cap.	fol.
ACçuſat choleram dextræ dolor, aſpera lingua	3	92	134
Adde pyro potum, nux eſt Medicina veneno	2	39	142
Ægris dat ſomnum, vomitum, quoque tollit, & uſum	2	65	259
Allia, Rhuta, pyra, & raphanus, cum Theriaca, nux	1	13	254
Anglorum Regi, ſcribit Schola tota Salerni	1	1	17
Appoſitum, cancris, tritum cum melle medetur	22	67	26
Auribus infuſus, vermes, ſuccus necat ejus	2	72	11
Auripigmentum, ſulphur, miſcere memento	3	83	11

B

	tom.	cap.	fol.
BAlnea, vina, venus, ventus, piper, allia, fumus	3	78	32
Bis duo vippa facit, mundat dentes, dat acutum	2	54	207

C

